De Ori
ginibus

De Originibus,

SEV, DE VARIA ET POtissimum orbi Latino ad hanc diem incognita, aut incōsyderata historia, quū totius Orientis, tum maximè Tartarorum, Persarum, Turcarum, & omnium Abrahami & Noachi alumnorum origines, & mysteria Brachmanum retegente:

Quod ad gentium, literarumq́ quib. utuntur, rationes attinet.

Ex libris Noachi & Hanochi, totiusq́ue auitæ traditionis à Mosis alumnis ad nostra tempora seruatæ, & Chaldaicis literis conscriptæ, Guilielmus Postellus posteritati eruit, exposuit & proposuit.

BASILEAE, PER IOannem Oporinum.

AD AMPLISSImum Biſuntinæ ciuitatis Senatum,
GVLIELMI POSTELLI
Epiſtola.

QVVM nil ſit inter homines præſtantius, quàm aut pręuenire aut reſpõdere officio, uiri grauiſsimi: uolui, ut teſtificatũ poſteritati relinquerem, quantum ueſtræ in me beneuolentiæ debere me fatear, & reſpõdere cupiam, uobis inſcribere hoc quicquid id eſt monumẽti, quod iã aliquot annis penes Ioannẽ Oporinũ, uirũ ut optimũ, ita doctiſsimũ, delituerat: eo quòd in figuris characterũ collocãdis, reformidãs & impeditus, nõ poterat ſine authoris præſentia typis committere. In huius autem operis ratione collocandus certè mihi nunc in primis eſt GVLIELMVS BARETIVS Iuriſperitus Nouocaſtrenſis,

ſingulari uir prudētia, qui mihi fuit & comes itineris, & actionū teſtis, & ut uno uerbo dicam, & interpres & parens. Nam niſi ſe in hanc curam ultrò protuliſſet, reuera reſpublica uniuerſalis adhuc diutius defraudata meis iſtis laboribus fuiſſet. Vobis itaq; ideo inſcribere hanc mearum Originū partem, quæ ad primarium certumq; & gentium & linguarum ortum ſpectat, uiſum eſt: quòd iſtac alioqui iniquiſſima tempeſtate, uos tanto ſtudiorum pro ueſtræ iuuentutis uſu teneri deſiderio cernam, ut licet non ita pridē inſignes pro ueſtrę ciuitatis ratione ſumptus feciſſetis in publica ſchola erigenda, & moderatoribus conquirendis, tamen ubi de me audiuiſtis, quòd lubēs in finibus ueſtris conquieſcerem, feciſtis ſtatim primis comitijs, ut in ueſtro poſſem ali prytanio, publicis donatus ſtipendijs, rei literariæ nomine. Qui itaq; tanta rerum habetis principia, ut hac in re dimidium facti tantum non

(ut

(ut aiebat ille) meritò habere uideami-
ni, meritò etiã à me accipietis hoc mu-
nuſculi, mole quidem perexigua, ſed
in quo ſumma rerum uirtus & ueritas
primaria deliteſcat, uſqueadeò, ut ſine
cognitione abſoluta harum Originũ,
quas uobis propono & inſcribo, non
poſsit reuera ulla de ipſis rebus haberi
ueritas: ſine qua tamen manca & lace
ra eſt uita noſtra. Ignota enim & natio
num & linguę characteris'ue, quo utũ
tur, origine, certiſsimum eſt, nihil eſſe
certi. Decreueram quidem, ſicut proxi
mis meis ad uos literis ſcripſerã, adi-
re Venetias, ut librorum illorũ, quos
ab Orientis finib. in Arabica & in Sy-
riaca lingua cõquiſiui, acceſsione red-
derem meæ habitationis locum ditio-
rẽ, ut à quo per illos libros poſsit uni-
uerſalis in orbe toto pax cõponi. Sed
iam triduũ progreſſus ſum, & per ua-
letudinem & per cõuerſationis impo-
tentiam coactus ad uos reflectere cur
ſum. Vnde ſi pergetis nomine literarũ

 ueſtram

uestram Imperialem ciuitatem illustrare, tanto maiori significatione animi in uos mei testimoniũ exprimere satagam, quanto uos generosiores hac in re cognouero. Sed quid mihi non ausim de meis Bisuntinis polliceri, quũ una Perrenotorum familia ciuitatem suam ita exornarit, ut sola quùm alijs operibus, tum maximè scholæ ædificio posſit principibus respõdere? Sic opera Romana oportet instaurari. Sic itur ad astra. Valete.

1553.

CAVSAE HVIVS TRACTA-tionis. Cap. 1.

QVum tota officij noſtri ratio eò tẽdere debeat, ut inſtar domeſticorum ſub patreſamiliæ, ciuium ſub rectore, ciuitatum ſub prouincia, & prouinciarum ſub regno, quæcunq; in rem capitis & membrorum cuiuſcunque conſortij faciunt, illa ſegniter quiuis exequatur: Sit autem rerum ſumma in hoc poſita, ut omnia in laudem primæ cauſæ, & in uſum cognitionemq; humanam referantur: deſcendere ad hanc humanitatis partem uiſum eſt, tam propterea quòd raritate rerum naturaliter ſinguli afficimur, quàm quia hic noſter orbis occiduus, ita deiecta ad ſynceræ ueritatis cognitionem appetẽtia eſt, ut non niſi peregrinis & ab orbe penè condito abſconditis theſauris deliciarum excitari poßit. Finis uerò huius meæ tractationis, licet ſit in charitate erga proximum, & in laude erga Sapientiam diuinam poſitus: tamen quum prætextu pacis & charitatis aßiduè, à quo author pacis Ieſus ſeipſum deſtrui, ut illam loco ſui relinqueret, illã nominis Chriſtiani aut Meſſihani æmulatores aßiduè perdant, potißimũ uariarum gentium & originum hiſtorias è tenebris, tanquam cognitionis noſtræ theſauros promere ui

sum est. Sumus enim instar filiorum Iaacob, & Aegyptiorum frumentantiū sub Iosefo: qui ubi mutuò nos cognoscemus, sicut cognoscemur, & reuera sumus fratres, in incredibilem læticiam & pacē trāsibimus. Quum autem hodie nil sit nobis odiosius, & contrà, illis qui diuersa religione à nobis uidentur: statui potißimum Oriētalium & Meridionalium illas historias in medium proponere, eáq; linguis Orientalib. orbi Latino tradere, quas aut non uidit, aut nō cōsiderauit antiquitas. Decreuerā quidem instituere de rebus Muhamedicis historiam, antequam aulicis tumultibus ualefacerē: & quædam præludia illius conscripsi Francisco primo id nominis Regi. uerùm non eò tendebat mens, ut componerem res humanas: sed ut nominis celebritatem quærerem, uniuersos in naturæ humanæ carnificinam homines armans. Verùm nunc & originem gētis nobis cognatæ, & natura & religione coniunctæ tradere, & modos quibus in summa pace poßimus cum illis componere, finemq; ad quem mundus est conditus, id est, pacem in uniuerso, conquirere uisum est.

EX QVIBVS AVTHORIBVS hanc historiæ uarietatem desumpserit author. Cap. 2.

Licet libros anonymos commentationum antiquarum habeam, quorum testimonium ob

linguæ

linguæ ignorationem hominibus nostris citare non possum: tamen originem totius tractationis expediam, sicut ex Septuaginta ducrum senum diuina ordinatione à Mose electorum (ut eius spiritus in eorum consessum transiret, & aduentum usq; promißi seminis) traditione & scriptis potißimũ ista hausi, demum ex illis quæ ab Alcorano pendent. Quum autem Ismaelitæ sint Muhamedici, qui nomina Alcorano dedere: certißimum est, ex parte Abrahami ueri patris, & ex parte Saræ ueræ dominæ Hagaræ seruæ Aegyptiæ (cuius consensu hortatu & iussu est genitus Ismael) habere profetias præclarißimas: sicut multa aut falsa, aut opinioni affinia, ex parte matris Aegyptiæ habent. Quod autem absurdißima multa ad literam, aut etiam receceptæ ueritati contraria uidentur habere, dubium non est, quin sint eadem moderatione ad spiritum trahenda, qua & nostra conciliamus. Litera enim ubiuis occidit, præterquã in simplici historia: quæ tamẽ ipsa etiam ubiuis, præterquam in Alcorano, est umbra futurorum, omnia in figuris exponens. Ex Talmudo multa sunt hausta. Zohar opus cõmentationum, quod anno proximè exacto ex Chaldæis uerti, in Geneseos librum, omnia notat intelligentibus, & ad literam Euangelij ueritatem proponit. Illam historiam publicè exponi curauit, & in scholis doceri, quod ant[illegible] erat nefas, Symeon Iu-

 stus,

stus, sanctißimus ille Iudæorum Pontifex ultimus, qui Christum in ulnas suas recepit, eo quòd lux ipsa uenerat, unde aposynagogus ab illa Pharisæorum schola factus, in nullo historicorum neotericorum habuit memoriam, nisi in Talmudo Ierosolymitano, & ipso Zohare seu illustratione scripturarum, in quo illius meminit sub nomine Rabi Zadoc, Rabi Symeon Beniohai, Zoharis ipsius descriptor. Vnde factum est, ut ne Iosefus quidem nominarit. Retulit uerò imprudenter nimis secta Tamuldi Babylonici, illa omnia quæ sub eo 40 ante euersionem templi annis de illo scribit Talmud Ierosolymitanum, in Symeonem Iustum alterum, qui ante Maccabæos fuit eadē dignitate, ita ut plus minus ducentis annis distent. Sed ut ueritatem historiæ & Iudaicæ in Talmud Ierosolymitano, & Christianæ tenuißimè in Euangelijs expositæ confirmaremus, nuper uenit in manus nostras Euangelica historia Iacobi fratris Domini, filij Iosefi Alfæi, in qua & Pontificatus Symeonis Iusti, & Mariæ uirginis matris Christiq; incunabula ita proponūtur, ut absq; illa historia Euangelium ad rationis examen de sua origine discussum, sit ob Atheos periclitaturum, ut suo loco uidebitur. Audiui etiā Romæ librorum Enoch argumentum, & contextū mihi à sacerdote Aethiope (ut in Ecclesia reginæ Sabba habetur pro Canonico libro instar Moseos) expo-

expositum: ita ut sit mihi uaria supellex pro historiæ uarietate. Decretum uerò ita est spoliare Aegyptios, id est, humanitatis authores: ut nil illis relinquam, quod ad historiæ sacræ confirmationem, aut nostræ cognationis recognitionem faciat, quin illud in suum finem conducam.

DE PRIMIS LITERIS, ET lingua mundi. Cap. 3.

QVum historias sine beneficio librorum antiquitatis, libros autem sine literis, literas autem ueras sine primæ linguæ cognitione discernere non poßimus: opus est necessariò, primò disquirere quæ'nam & cuiusmodi literæ primæ in mũdo fuerint, & si extent. Primò in quæstionem uertitur, quum homo sit ζῶον λογικὸν, animal'ue rationale, aut locutorium, nónne ut in rationis ductu omnes conueniunt, sic & in lingua loquẽdi ue aliquo genere cõmunicent? Constat satis de rationis lumine, in uulgari genere hominum. Siquidem & syluestres & marini homines à nostris, præter pilos & squammas nil differentes, ingenio à feris nõ dißimili sunt reperti. De Anosteis, seu loripedibus: Sciapodibus, seu umbripedibus: empusis, seu unipedibus: monosceletis, id est, unoßibus: cynocefalis, id est, capicanibus: platychilis, id est, latilabijs: platotibus, di est, latauriculis: blemijs, id est, sinecipibus:

Satyris,

Satyris, id eſt, ſemicapris: Aegipanibus: Pygmæis, id eſt, cubitalibus: alalis, id eſt, linguacaptis: troglodytis, id eſt foramintris: et cyclopibus, aut unoculis, ſeu monoſtalmis: Syrictis, id eſt, fiſtulorijs, ſi ſunt ut ferunt hiſtoriæ, aut ſi uſu rationis pollent, quin ſint in hominum genus reponendi, non eſt dubium. Nam licet Satanæ inuidia genus noſtrum eſt per uarias figurarum admixtiones uitiatum, ſicut Perſæ Macrorinas, & Colchi Macrocefalos, ideo arte in uterum matris introducta ob formæ elegantiam procreabant: tamen non potuit fieri, quin dux ratio ſemper adfuerit, ubi generis noſtri natura remáſit. De Satyris, eſſe animo ad religionem uſq; rationali, & loqui, conſtat ex Hieronymo, & Vitis patrū. De Cynocefalis, & cæteris ſimiliter. Alali multi ſunt in Africa, & ſub polo noſtro: qui ſi loquantur inter ſe, non conſtat. Certè inter permutādū res ipſas, nunquam loqui uiſi ſunt. unde meritò aut linguacaptos, aut quouis alio nomine uoces. Syrictæ, ſi loquuntur, ægrè fit, quum os inſtar fiſtulæ, aut ad hauriendum odores, aut calamo ſugendum, tantum foramen oſculi habere uideantur. Noſtra penè memoria de Cynocefalis, Empuſis & Pygmæis relatum eſt, ab hominibus omnino à mēdacio alienis, ut tamen acceperant. De unoſsibus, aut incuruicrurijs, quibus poplitis deeſt flexio, quin poſsint eſſe, ut in infirmis uidetur, ut in contrariū fulgure

fieri

fieri loripedes, ambustis omnino oßibus medijs in tibijs cernimus, non uideo. Memini me de religione Blemiarum, nedum de essentia: sed penes authores, quorum nunc memini, fides esto. De introducta à Persis & Macrocefalis arte in uterum matris, constat: ita ut qui recenti teneroq; capite ab obstetricibus tales facti essent, tales generarent. Cuius rei indubitata fides in Hippocratem relata, non nisi certißima esse potest. Platychili sunt hodie in Africa, magno compēdio regis Lusitaniæ in sale illis, ad euitandam oris putredinem, diuendi solito. Si loquātur, mirum est, absente labio inferiori, quin saltem proferant b, p, m, f, u, consonum: nisi instar psitacorum in craßitudine linguæ, labialem prolationē habeant. Quum itaq; non poßimus de usu rationis iudicare, nisi ex operibus, aut ex loquela, sicuti Dei infinitatem, ad quam capiendam omnes tamen nati sumus, quatenus per uerbum eius creatum, & infinito unitū, possumus capere, non nisi per ipsum uerbum capimus: necesse est ut concludamus, omne genus humanum, quacunq; sit forma, deprauatum esse usu rationis, & colloquutionis cum angelis, aut cum spiritu agēte mundi præditū: sed nō prius suæ essentiæ ueritatem nobis posse manifestare ad extrà, quàm ut secundum naturam ex ui doctrinæ aut agat saltem, aut colloquatur & agat.

De

DE LINGVAE ET LOCVtionis origine. Cap. 4.

Constat hominem duplici potißimum nomine à cæteris differre animantibus, quòd ratiocinetur & loquatur. Ideo animal logicum meritò uocauit Græcia, quòd λόγος non minus locutionem sermonem'ue, quàm rationē significet. Iam *naturæ & gratiæ rationē & authoritatem secuti, exposuimus illa, quæ ad summum rationis æternæ, & legis in omnium mentibus scriptæ, apicem pertinent: idq́; quàm plurimis iam operibus.* Primò *in* De *orbis terræ cōcordia, potißimum in primo & tertio operis libro.* Demum *in* De *naturæ & gratiæ in unum restitutæ, quod* Zoharis *nomine uocatur, estq́;* Symeonis Iusti, *ultimi* Iudæorum Ponti*ficis opus, in unum collectū à* Symeone BenIohai. Postea *in* Panthenosijs, De *instāte* Christi *ultima natiuitate,* De *instauratione naturæ ut ante peccatū, & plerisq; alijs, quibus ea legis æternæ ratio ita exponitur, ut non minus* Ismaelita & Israelita, *duce ratione, salutis æternæ essentiam omnibus hominibus expetitam,* Iesum, *quàm ipse initiatus cognoscat* Christianus. *Hæc uerò pauca ex multis de nomine, ut requirantur, præponere in rem legis æternæ decreui.* Alteram *hominis à sibi subiectis animātibus differentiam, linguæ uidelicet & locutionis usum,*

usum, nunc subiungo, ut utriusq; excellētiæ cognitis secundum naturam & gratiam principijs, ad perfectum restituatur homo fundamentum. Sicut rerum fides ex auditu est (nam rei nullius unquam habebitur cognitio, nisi prius nomini credas, quàm rem concipias) sic locutio ex auditu est. Nunquam enim loqui posset homo, nisi ab alio prolata auditu capiat. Quum ab uno omnes ducamus originem, necesse est ut primus parēs cœlitus sit edoctus de uniuersarum rerum nomine. Quum autem ante primum hominem nullus esset homo qui uoce exteriori loqueretur, necesse est ut uoce interiori omnia rerum conceperit uocabula. Quare ab ipsissima Dei sapiētia fuisse infusa nomina rerum, secundum ueritatis æternæ omnia ordinantis rationem, est omnino necesse. Diuinitùs itaq; Adam accepit uocabula à Sapientia, seu ab intellectu agente & poßibili, cuius uniuersi sumus membra. Quū autem esset necesse, auditu exteriori omnia proferre, ut filios & posteritatem doceret: opus fuit, ut in duplicibus tabulis etiam uocabula ipsa, sine quibus nil sciretur, exararentur. Est uerò cogitandum, quòd primus homo in maiori perfectione sanctitatis fuerit, quàm uniuersi sancti simul: ita ut ad uoluntatem eius tota elementorum natura concuteretur, digitorum uerò attactu omnia etiam in adamante insculpi possent. Nam quæ uis miraculorum uisa

postea

postea est, tam in Christo quàm in suis membris, in utriusq; Testamenti tempore, illam ipsi Adamo *ab initio concesserat.* Nec *enim quicquam aliud fuit omnium sanctorum unà positorum uita, quàm naturæ in primo parente ab initio positæ restauratio, hactenus multum inferior in omnibus & singulis qui sanctitate pollere uisi sunt (exceptis* Iesu *&* Maria*) quàm in solo primo parēte fuisset. Sic enim necesse erat illum, ut posset totam naturam seipsa meliorem tam animi quàm corporis opera reddere, in* Iesu *pollere potentia ad agendum summa: ut quanto rebus postea per industriam & artem comparatis esset nudior, tanto magis esset illi ad nutum obediens natura saxorum, aut cuiusuis rei durißimæ. Sicut itaq; plerisq; in locis Syriæ,* Romæ, *& ubiuis gentium uidemus uestigia contactuum Christi aut martyrum, impreßis in saxo aut marmore plātarum, digitorum aut manuum uestigijs: sic etiā ipsi* Adamo *ad conseruationem uocabulorum illorum, quæ imposuerat, proferendo cum* Eua, *quæ ipsi angeli non poterant, necesse erat literas characteresq; perfectißimos &* Deo *doctore dignos mēti insculptos adesse, quæ in marmoribus ex solo uoto exararētur. Sicut enim cōpertum est etiā nostra memoria, dæmones & angelos hominis imperio aut uoluntate (tanquam femina à masculo, aut subditus à domino) impulsos exarasse uaria scripturæ aut*

sculpturæ

ſculpturæ genera: ſic ipſi Adamo in atomo temporis, ſi poſſet dici, licuit omnia illa nomina quæ diuinitùs ex diuinæ ſapientiæ fonte hauriebat, tranſcribere in ſaxis maximis, quæ inſtar membranarũ illi in inſtanti dedolari poliriq; ad ſcribendum, uti poſtea Moſi, poterãt. Sic enim erat opus fieri omnia compendiò. Illa ſcripturæ characterumq; expreßio in paradiſo facta & relicta eſt, nec aliud ullum modi illius ſcribendi ueſtigium miraculoſe poſtea patuit, niſi in Moſeos tabulis theograptis. Salomon quidem ſecundum legem oris per nominum diuinorum potentias in illud ipſum naturæ dominium redierat, quod per textum ſacrum adhuc noluit Deus mundo reuelari, licet in conſenſu Eccleſiæ conſtet. nam in ſeculo nequam iſta facultas magis noceret, quàm iuuaret. Tabulæ ergo interiores ſunt mens aut animus, in quo prius cõcepit ſcribenda & proferenda, quàm ſcripſerit aut protulerit ad extrà. Siquidem à mente ſcriptura procedit, loquendi & docendi theſaurus.

QVIS ESSET VNIVERSI character primus. Cap. 5.

QVum ſit ille ipſe idem Deus neceſſariò mobilis & immobilis in inferiorem naturam per ſe non exiſtentem, aßiduè & diuerſimodè agens iam à mundi principio ad nos uſq;, neceſſe

est, ut quem modum naturaliter ubiuis gentium cognitum ad ueri manifestationem aut mentis impulsionem dedit ad nostra usq; tempora seruari, illum eundem modũ primo parenti nostro statim dedisset. Quum itaq; summa impulsio animi ad suadendum sit similitudo aut cõparatio, seu quæuis trãslatio in Rhetoricis *: summa autem ueritatis conseruatio sit in demonstratione mathematica penes* Filosofos *: necesse est, ut illa lingua & uoces charactteresq; traditi diuinitùs primo parenti, perfectissimè in se has duas partes suasorias & demonstratiuas ueritatis diuinitùs acceptæ continerent, ita ut non solum minima elementa sint ad ueri cognitionẽ ponderatè consideranda, sed etiam pũcta & apiculi. Sicut enim in mathematicis, si minimæ figuræ regularis consideratio prætermitteretur, & in lineis in solius pũcti positione aberraretur, fieri demonstratio non posset : sic &* Dominus Iesus *perfectionis in* Adamo *deperditæ cum infinito lucro instaurator, quum docuit summum mysteriorum gratiæ in* Scriptura *sacra positorum examen fieri debere, dixit,* Iota *unum, seu* Iod, *qui est totius literaturæ mundi basis & figura prima, aut apiculum unum, unde uocalium & accentuum uis manat, non esse à lege prætermittendum, donec omnia fiant.*

Quòd si omnia inde compleri ipso facto decet, ut omnino est necesse, ex eo quòd sint sub elementis in

lege diuina scripta: duo inde necessariò sequuntur. Primum, quòd illa litera, in qua Moses sacram scripturam compendio duarum tabularum expressam de monte attulit, sit æternæ ueritatis & demõstrationis fons, à quo omnino cognitio ueri sit expetenda. Nam dicit Salus mundi, non transiturum à lege unum Iod. Vnde sequitur, ut illud Iod sit in lege illa, quæ mysteria regni Christi in se continet.

Secundò, quum dicit non transiturum à lege, ostẽdit fore, ut illa eademq; lex ueritatis, quam necesse est in nominibus rerum & complexu uerborum enunciandis fuisse datam Adamo nostro omniũ parenti à principio, illa inquam eadem in summa ueri indagine tandem redeat in usum, ita ut illis ipsis modis quibus prior rerum ueritas est expressa, & in lege Dei per gratiam & Mosis pietatem restituta, tandem uniuersi meditando die ac nocte in lege Domini uerum summũ, quatenus in creaturis, & maximè animatis delitescit, consequantur. Sicut enim hactenus per falsas linguas, & post Babylonicum facinus natas, ueri umbram sumus uenati, qualicunq; nominum recta ratione obseruata: sic ueri extremam perfectionem tam in mente nostra concipiendam, quàm in suum finem omnino conducendam, ubi dicitur res fieri, necesse est à prima illa Adamo indita notione & literarum forma uenari. Licet autem nobis per continuas memorias

non constet, quinam fuerint Adami characteres, omnino ex Mose colligere possumus. Nam inter Deum diuinamq; eius tam increatam quàm creatã sapiẽtiam, interq; angelos & homines à principio institutos, non potuit uerum nisi uno solo charactere exarari. Siquidem frustra fieret per plura, quod per pauciora fieri potest. Quum Deus sibi semper similis & uniformiter agẽs, dederit miraculosè & supernaturaliter in lapideis tabulis exaratam legẽ suam Mosi: necesse est omnino, ut sit illa ipsa lingua & character cœlestis, quẽ primò dederat Adamo. Tabulæ autẽ ipsæ ita excisæ erant, ut ab una parte in alteram omnino transiret exaratio, ita recta Hebraicè posset legi ex una parte à dextra in sinistrã, aut ab altera inuerso hebraismo à tergo, more Latino: quod in contextu factum fuisse humana arte, est omnino impoßibile. Nam elemẽtis continua serie scriptis, ita ut nil esset interstitij, sed esset lex ueluti una sola dictio instar sapientiæ Dei, quæ unum & omnia singulaq; est: erat impoßibile consistere in lapide friabili & fragili, nisi tota moles scripturæ miraculosè stetisset. Sed tamen hoc miraculi in quauis lingua fieri potuisset: nec satis est ad persuadendum, linguam Hebraicam qua nunc utimur, fuisse diuinitùs datam. Vnde duobus argumentis certißimi reddimur facti. Primum est à dictis Christi. Quũ enim uult ipsa æterna ueritas demonstrare à

re à minori ad maius, se non uenisse ad soluendam legem, sed ad implendam, ait: Ne putetis quòd uenerim soluere legem, sed adimplere. Amen quippe dico uobis, donec transeat cœlum & terra, iota unum aut apex unus non transibit à lege, donec omnia fiant. Si de uerbis Euclidis nil potest sine ueri dispendio perire, multo minus de lege Dei. Sed tãtum abest, ait Christus, ut quædam sententiæ, complexa, aut literæ maiores poßint antequam impleãtur intercidere, ut diuturnior sit nõ solum minima omnium literarum Hebraicarũ quæ iota est, quàm cœlum & terra: sed ita, ut sit multo magis ad expreßionem usq; minimæ illius inter omnes literulæ effectus scripturæ finaliter considerandus & expectandus, quàm cœli & terræ, seu materiæ & formæ. Siquidem diuinarum literarum uirtus est cœlis superior. Sed non tantùm minimam literulam iota est impoßibile fraudari suo effectu, legaliq; consideratione, sed etiam ipsos apiculos tres quibus constat. Ad apiculos enim usq; tam literæ iota, quàm cæterarum, quæ omnes ex ea compositæ sunt apices, spiritus sanctus summa ueritatis æternæ uestigia & demonstrationes primas docuit, ut in Zohare & tota patrum doctrina patet. cuius rei argumentum unum uel maximũ uideas in hoc, quòd patres spiritu Mosis illuminati, aiunt tres apices esse circa unitatem ipsius iod, tanquam tres patres in

 unitate.

unitate. sic enim uocant, quas personas dicimus. Sic per apices & iod uidetur prima diuinæ essentiæ expreßio in una essentia, quæ unitatis, ueritatis, bonitatisq; apicibus per tres personas inconfusibiles & inseparabiles exprimitur. At quum nõ fuerit ulla ante Christum alia sacra scriptura, aut lex scripta, quàm Mosis, & quum in nulla alia lingua mundi sit à patribus obseruatum, ut non tantũ iod minima uniuersi litera sit ante omnes obseruabilis, sed etiam eius apices sint summæ ueritatis argumentũ, quàm in ipsa Hebraica nunc extante, & iam à temporibus Ezræ post captiuitatem Babylonis publicè exposita: necesse est, ut illa sit æterna lingua & character, ut quæ non tantum iod habet pro minimo elemento, sed etiam sub qua sola sit usitatum, rationem apiculorũ considerare, donec omnia fiant. Sed quid sibi uult, Donec omnia fiant? Nónne iã à creato mũdo omnia facta sunt? Præstantißimũ esse rerũ est in intellectu. Quũ ergo à Deo omnia sint facta, ut præstãtißimũ esse cõsequantur in mente humana, nõ satis est ut sint & fiãt omnia in se, sed necesse est omnino ut fiãt et formẽtur extra se, secũdũ ueritatẽ sacrã primã & æternã, & nõ secundũ Aristotelicas nugas, aut Demosthenis præstigias, in mẽte nostra, secũdũ quod omnia in æterna lingua fuerint expressa. Vnde illã ad minimas usq; partes unde cõponitur iod, & ad iod ipsum,

ſum, unde omnes literæ, perpēdere opus eſt, ut finā li eſsētia omnes creaturæ mundi fiant in nobis: ſicut ſemē maſculi in fœmina diſtinguimus, antequā ullā realē eſſentiā & uerā habeāt. Quæ enim hactenus trāſierunt, præter paucorū ſanctorū cōſiderationem tenebroſam, fuere tanquā non eſſent, quia nōdum per uiam ueritatis conſiderata ſunt.

Alio etiam argumento certificamur, quòd literæ Hebraicæ proſtantes ſint Moſis, & per conſequēs Adami. Viſu enim ipſo, totus Iſrael eſt certificatus, ut continua memoria per Miſnaioth ſeu Deuteroſes, & per utrunq; Thalmud conſtat, quòd Mem finale & Samec ſtabant miraculoſè in Tabulis: unde fractis illis remanſerūt illæ ſolæ literæ in ſuo medio ſolidæ, ſicut remaneret O. Atqui in nulla alia lingua mundi poteſt uerificari, ut Samec & Mem finale ſint ſimiles, & omnino clauſæ, niſi in ea quæ nunc eſt Hebraica.

DEMONSTRATIO, QVÒD Hebraica proſtans ſit æternæ & infallibilis ueritatis lingua. Cap. 6.

SIcuti ſumma demonſtratio mundi ex puncto, linea & prima regulari ſuperficie cōſtat, nēpe ex triangulo, ita ut ſit impoſsibile ullam magnitudinem, cuius numerum, harmoniam, & menſuram, cœleſtem'ue naturam ſcruteris, cōſtituere,

nisi præcesserint punctus, linea, superficiesq; prima, per quam irregularia omnia metimur: sic est omnino impoßibile, ut auditu quicquam notionis rerum concipias, nisi uox accentus & consonans aliqua prolatio innotescat. Vox est instar puncti, sine quo nil fit. Accentus est uocalium intensio, remißioq;, & diuersitas, uti lineæ ex punctis productio. Consonans est tanquam superficies, iam ex pũcto linea & superficie utrinq; procedente deducta. hinc in quarto loco uocabulum, sicut in quarto loco corpus. Quum ille ipse idem Deus per suum spiritũ doceat omnia eodem modo, quum auditor eodem modo potest concipere, necesse est omnino, ut tales Adamo dederit characteres, eo quòd eßet omnium hominum per diuinam infusionem doctißimus & capacißimus, ut qui nomina secũdum rectam rationem solus acceperit, & uerbis scriptisq; ex mente seruarit, opus est ut literas huiusmodi acceperit, quæ demõstrationis Mathematicæ mõstrarent originem. Omnes itaq; uocales linguæ sanctæ, sunt pũcta. Vnde malè fit Cametz & Pathah, quum in hoc sint tria linearia puncta, in illo autem eadem cum uno ponderis causa supposito adsint sic, ⋯ Patah, ⋯ Cametz, quod constat ex nomine Segol patah parui, & Zere cametz parui: ubi pũcta, sicut decet, sunt separata. Accentus in suis figuris corruptißimi cõstant lineis & punctis. Decima & prima litera

Iod,

Iod, ex qua cæteræ naſcuntur, conſtat tribus lineis, duabus in ſuo circulo manentibus, una recta ad nos protēſa. Inde omniū literarū corpus, dictio, oratio.

QVOMODO EX HEBRAICA priſca & abſcondita, ſunt natæ duæ linguæ, Aramea ſeu Chaldea, & Arabica, quæ etiam Chaldin, id eſt, Chaldæorum eſt. Cap. 7.

QVum maior affinitas uidetur inter duas linguas, quantumuis opinione alioqui & ſtudijs diuerſas & aduerſas, quàm inter eiuſdem partes, dubium nō eſt, quin ſint eadem origine: ita tamen, ut ab antiquißima profluxiſſe cæteras certū ſit. Multo uerò maior differentia eſt inter capitales, ueræq; formæ Hebraicæ characteres, et minuſculas ubiuis gentiū pingi ſolitas, quàm inter eaſdē minuſculas & Arabicam, Chaldeam'ue, quam hodie Maroniticā uocāt. quare dubiū nō eſt, has duas per tachygrafiā ab eadē profluxiſſe. Nec obſtat, quòd hodie ſub Chaldaica aut Maronitica, ſeu mōtis Lybani & Chriſtianorum de Zona, ut uocant, nihil inuenitur præter uetus & nouum Teſtamentum, ex Hebræis & Græcis uerſum: in Arabica uerò nil præter Alcoranum extat. Cautè enim cum Hebraicis antiquis ſeſe ſubduxere Iudæi à conſortio Chriſtianorum, quibus Ieſus Chaldaica & uul

uulgari lingua loquutus, tradidit in tota Syria, Chaldæam linguam, cuius ob dominium Græcum & Romanum in monte Libano solùm remansit usus ad hæc tempora seruatus. Et sic quam habebant olim communißimam Chaldæã, funditùs neoterici Iudæi perdidere. Verùm nil mirum, aduenticiam, & quæ Abrahamo uulgaris in Babylone, antequam renunciaret omnibus quæ poßidebat, erat, renunciasse uafros uerpos Christicidas: quum post reditum à captiuitate Babylonica uir insigni prudẽtia Ezras, non alia ratione publicos fecerit Adami Mosisq́; characteres, ad eam diem cum sacris & nunc primum reuelandis mysterijs inter auditores Mosis & Profetas absconditos: & publicando finxerit apud populum, se nouos reperisse: quàm quia uidebat Samaritanarum 10. tribuum, quæ semini Dauid renunciauerant, perfidiam in charactere publico omnia iam corrupisse: & multo maximè, postquam in Orientem ad Mediæ fines per Samanasar Pseudoiudæi illi fuerant translati, quia in eorum locum successuri uenerant Cuttei & Babylonicæ sentinæ feces multo peiores, qui ex professo idololatriam & Iudaismum propter leones profitebantur. Sic enim reductis ad denuò publicatum characterem Iudæis, in quo etiam finxit se legẽ totam alioqui perditã transcripsisse, excõmunicatos reddidit Samaritanos, & ueros Iudæos ad usum

nuper

nuper publicati characteris adduxit. Nam omnes ſciebant, multis admodum in locis haberi uolumen legis ſcriptum Samaritano & uſitato charactere, quo ſignabatur moneta: ſed illo impoßibile erat populum reconciliari. Dum itaq; publicauit Adamicum characterē, in quo totū ſacrorū corpus inter LXXII ſeniores Profetasq; ſenſim auctū deliteſcebat, & ſeſe à corruptione uendicaſſe diuinā legē aſſeruit unà, & ſeditioſos Samaritanos excōmunicauit. Verùm etiam uſq; ad Origenis tempus manebat adhuc nomen Dei magnum in Samaritano charactere, per duo iod notatum. Sic characteribus antiquis, unde Latini 1000 annis ante Græcos accepere, renunciando renouata eſt linguarum cōfuſio. Hoc attuli, ut uideatur illis ex uſu fuiſſe, diſcedere à ſibi uſitato charactere: ne ſit mirum, Chaldæos ob Chriſtianiſmum reliquiſſe, poſt Chriſtum ab illis crucifixum, linguā exteriorem Abrahami, & quæ iam olim uti adulterata ex Hebraico uero deducta fuerat, quum ne proprijs quidem ſuæ Reipublicæ characteribus pepercißent. Primò itaq;, antequam ad deductiones humanorum characterum, ſiue Samaritanorum ueniamus, ad oſtendendum deductionem Latini & Græci characteris, & inde eorum qui inde ſunt deducti: ſimiliter antequam Arabicam attingam deriuationē, Chaldaciam emanationem tradam. Alef, ſeu Olef (ut

Cametz proferunt obscurando a) in figura sua mi nore est Alef Hebraicum, in Gallia usitatum Auinioni. Beth, Gimel, Daleth, Zain, Iod, Caf, Lamed minus, Mem, Nun, Pe, Zade, Cof, Res, nil habent difficultatis. Sunt remotiores à prisca figura cæteræ, sed tamen ut facile uestigium antiquitatis agnoscas. Quũ enim ex 22 elementis 15 sine cõ trouersia figuram auitam repræsentare uideas, de cæteris septem dubitari non potest, licet nil uestigij in illis superesset. Videmus enim minusculas Latinas nõ tantũ in uariarũ gẽtiũ chirografia differre sed etiã in typis ipsis nil ferè habere cõmunitatis cũ maiusculis suis, quũ tamen capitales Græcæ & Latinæ sint eædem.  He quidem capitale nil aliud est, quàm ה Hebraicum maiusculum, addito semicirculo pro manus ornatu. Sic & Vau maiusculum nil aliud eße quàm  celeriter & capite obuoluto pictũ, cui cauda in minusculis est decisa. Heth omnino est adulteratũ.  nil aliud est, quàm Theth factũ celeriter, & colligatũ cũ sequentibus capite prominulo, quale est sub tertij ordinis figuris. Vnde & ista et Arabica procedit figura. Lamed capitale corrigitur ex minori, sicut Gimel aut Gomal minusculũ corrigitur ex capitali. Mem utrunq; quadrat Arabicis & Hebræis chirograficis. Somacht nil aliud est, quàm colligatum Samech, cui inuolucrum est capiti additum. Ain deprauatum,

uti & Heth est. Similiter & Tau. Schin enim colligatione tantum alterauit tricipitem formam, inq; confusam bicipitē deduxit. Sic saluis tribus, omnes in sua uidētur origine. Sūt uerò relicti hi characteres, antequā pūcta ascriberētur. Ideo loco punctorum quinq; uocales Latinas corrupta figura receperūt, & uocarunt a Abrahā. ב id est, e, Esaiā. ɪ, id est i, Isaac. o, Odū, id est, Adam. ô, Vriam, u. Sic inuerterunt aliena, ne in suis agnoscātur. alioqui duo puncta sic בָּ faciunt a, sic בֵ e, sic בִ i, sic בֹ o, sic בֻ u. Sic sunt, ba, be, bi, bo, bu.

DE ARABICA. Cap. 8.

Licentia maiori in pingendo sacro charactere usi sunt Chaldæi orientales, Babyloniciue, ita ut singulos characteres in fine dictionum causa formæ cauda oblonga deduxerint, præter Elipf, Dal, Re, Ze, & Vau. Quum tamen passim etiam Dad & Eliph ligari cum consequentibus inter Turcas soleat. Quum itaq; accisis regni uiribus essent Iudæi, & Misnaioth seu decreta maiorū & utrunq; Thalmud, id est, Ierosolymitanum & Babylonicum, & ipsissimum Thargum tam Ionatani quàm Ankelos in characterem sacrum & Mosaicum transcripserunt, ut sese à uarijs illis hæreticorum opinionibus, quæ nō minus illos quàm nostros diuexabant, liberarent, excluserunt, à se etiam literam Orientalem iam in Arabia, maximè Persia & Aegypto

Aegypto sparsam, quæ postea duce Muhamede ex Chaldaica cœpit Arabica dici, eo quòd primus adulteratam nothus per legem adulterinam nobilitarit. Quòd autem fuerit aliquando diuinis literis coniuncta, ex ipso charactere uidetur, in quo tāta uis diuina ex maiorum traditione & arte oretenus recepta, quam Cabalam uocāt, uidetur procedere, ut prædictiones multo quàm à cœlo & oraculis, clariores certioresq; inde petantur: sicut in maximis uidetur studijs Marochi, Tunicij, & Alcæchiræ. Ea est hodie lingua in toto mundo maxima, ut quæ nescientibus 10 tribubus, sub Ismaelita Muhamede in Alcorano regionibus uniuersi referto, est in usu, ad compensandam iacturam suæ Samaritanæ, quæ paulo pòst quàm extra solum sacrū sunt abductæ, illis ferè omnino perijt. Nam in charactere Græco & Latino pridem erat seruata. Ex ipsis haracteribus minima & oblonga corporis mole formatis uidetur clara deductio. Clarum est, quomodo Alef in 7 figura sit eliph, similiter Bet in 4, 5, 6, similiter de Ghimel in 3 & 6. Dalet format Dal & Dhal in 3, 4, 5. inuersus autem & confusus ordo turbat. Ideo ponemus ordine prisco per Ebged, ut aiunt, sicut & docti scriptores utuntur, & in numeris uidetur. nam totus Oriens à literarum sacrarum usu numerat, nedum Arabes. Maleuoli homines, dum uiderent se excommunicatos,

chara-

characteres loco motos interseruere, & adulterarunt, ne furtum agnosceretur: quod in utraq; Dalmatica, Georgiana et Iaacobitica, à Græcis per uarias hæreses abducta patet. He est finale, ut in fine. Vau est capite obtorto, ut in alia Chaldæa. Zain eadē figura cum Re pingitur, sed tamen est à Zain: Heth, sicut & alij adulterarunt consimili figura, facientes Gim, He, Che, id est, Gimel, He & Heth. Thet est sicut in Maronitica corruptū. Iodo ipsi est addita cauda oblonga & obtorta, ad eludenda mysteria Trinitatis. Chaf, Lam, Mim, Num, finalibus hæ duæ affines satis patent. Samech, Zade corruptum in suo loco posuit, quod per etymologiā deprehenditur. ideo dicitur Zad. Hain habet ultimas formas, demum colligationem perdit multiplicando figuras. Phe sibi constat. Zade dictum est. Coph obuersa in sinistrā cauda, cum duobus pūctis seruat caput. Res ipsi Dalet est supposita ob affinitatem, sic differēs in Arabico, sicut differebat in Hebræo. Sin & Schin sua tria capita adhuc seruat. Tau sequitur tachygrafiam Italicam: habet duplicem potentiā. sic reductis in suum ordinem literis, & pro una positis, quæ sunt duplicatæ ob superscriptum punctum, nil aliud esse uidebuntur quàm 22. Nam The & Te unum sunt. He & Che, Dal & Dhal, The & Dhe, Hain & Gain, Tzad & Dhad, Sin & Schin. sic remotis superfluis, & reposito prisco

ordine, et Arabes in æternæ linguæ fontē redibunt, ſicut & Chaldæi Maronitæ. Sic hæ tres linguæ nō niſi una ſunt, & multo maiori affinitate ſibi eſſe ſimiles uidentur, quàm priſca Gotthica & Longobardica litera cum uera. Sed quis eſt hodie in praxi legendarum Latinarum tam exercitatus, ut omnia intelligat quæ in eadem lingua ſunt ſcripta? In Italia tot formæ ſunt ferè, quot homines, quas nō niſi familiaritate & coniecturis aſſequare. Similiter in Germania, in Polonia, in Anglia, in Gallia, in Hiſpania: ut non ſolùm unaquæq; natio ab alia differat, ſed intra ſe innumeras formas recipiat: quæ tamen omnis ex difformitate, uelocitate, & colligandi abbreuiandi'ue libidine ſunt natæ: ut ſit minus mirum, differre Iudæum à Iudæo, Araba ab Arabe, aut Chaldæum à Chaldæo. Tamen ubiuis gentium integrior eſt matre.

DE SAMARITANA, OMnium occidentalium matre. Cap. 9.

AB odioſo euentu nomine Samaritanæ eam uoco, quæ certè erat lingua in tota Republica communis. Conſtat Moſaicam Rempublicā ſuam habuiſſe monetam, ſicut & cæteras. Quum uerò ſit certum, & monetam inter Iudæos fuiſſe: & in literis quas nunc habemus ab Ezra, primum publicè

publicè expoſitas, fuiſſe datam legem, nec tamē ul lam pecuniam ſignatam Hebraico charactere uideamus: reſtat, ſicut ex argenteis nummis, qui aßiduè in ruderibus circa ruinas Ieroſolymæ uetuſtæ effodiuntur, uidemus pecuniam charactere Samaritano ſeu exteriore fuiſſe ſignatam, quod de ſiclo ſancto in Linguarū introductorio à nobis expreſſo patet. Fuiſſe uerò etiam ſacram ſcripturā in uſu literæ exterioris uidetur, quū in uerſionibus Græcis notarint antiqui nomen Iehouah abbreuiatum in duobus Iod. Illud notauit Ieronymus: hoc addito, quòd putarent Græci inter legendum eſſe ibi π π, id eſt duo pi. quia Iod Samaritanū ſic fit ⁊ proximè ad effigiem pi Græcorum. ſic à monetis & uetuſtis exemplaribus uidetur. Sed multo certius à priori, quàm à poſteriori, ducitur argumentum. Quum enim ab antiquißimis authoribus ſit notatum, Gallos illas literas in uſu bis mille annis ante Strabonem habuiſſe, quas poſtea inuētore aut aſportatore Cadmo ſe habuiſſe à Fœnicibus Græci gloriati ſunt: neceſſe eſt, ut qui primi ad habitādum Galliam uenerint, nempe Gomeritæ et Galli, illas à patre & Imperatore uniuerſi acceperint, nempe à Iano, ſeu Noacho, per Iapetum eius primogenitum, & demum per Gomerum & Samothen Gallos fratres. Ideo Chaldæis & Fœnicibus æternum fuiſſe uſum literarū putauere grauißimi

authores. Quum autem sola inuersione excepta, capitales characteres Samaritani Græci & Latini planè ijdem uideantur, constetq́; Græcos à Cadmo Fœnice accepisse, & si uellemus eorum mendacio subscribere, matrē Euandri Latinis tradidisse, aut parum obliquata forma ueteri secundum ueterem historiam à Gallis & Hispanis trecentis & mille antè annis habentibus accepisse Latinos, aut etiā semper seruasse, sed adulteratis, ut etiam hodie assolet, formis, necesse est ab uno eodē fonte uenisse literas & homines. Quod si capias bis mille annos, antequam Homerus correxerit Græciæ suas literas, aut à Cadmo sint emendatæ, uel primùm allatæ, recides planè in Gallici nominis in Italia & Gallia fundatores: ita ut ille Dis, seu Daees Samothes Gallus, in quem & disciplinarū & religionis fontem, sicuti & originis, Galli referunt, planè literas publicarit, iure primogenituræ. Nam Semo in terra sancta expectanti uocationem Abrahami, relictæ erant sacrosanctæ Geometricæ & absconditæ, donec illarum diuinitatis diuina legis exaratio redderet testimonium. Inde est factum, ut in Aegypto esset sacrosanctum & solis sacerdotibus cognitum literarum Ieroglyficarum genus, quum tamen esset publicus aliarum literarum usus. Hinc factum est, ut Athlas seu Italus, qui et Iapetus, morē Aegyptia cum à se uti primogenito inditum ad insulas Hesperidum,

ridum, quæ in sinu sunt Athlantico, quadraginta dierum itinere uersus occasum ab insulis Fortunatis, quas Gorgonas olim dicebāt, transmiserit: aut, quod proinde facile fuit (nam omnes Noachitæ in diluuio summi in arte nautica facti sunt) ueniēs per Antipodes, et hactenus incognitum nobis hemisfærion, ut Plato author grauißimus in Athlātico & Timæo de sententia Aegyptiorum notauit, in Aegypto posuerit usum eius disciplinæ, quam ad nostra usq; tempora in sacrorū usu uidemus fuisse, in nouo orbe communem. Non solus Plato notauit cōtinentis uocabulo eas insulas Athlanticas, ita ut putarit esse submersas propter obliteratam memoriam: sed Plinius libr. 6. cap. 31. & Solinus cap. 68. uterque ex Seboso notauit eam distantiam Hesperidum obiectarum nostri maris faucibus, quam notaui. Omnia illa Athlantica à primo Attalo, seu Athlāte potius quàm ab alijs, quum uniuersus orbis eius iurisdictionis sit, nomen habuisse certum est. Certißimum autem est, à patribus insigni eruditione uiris, Hieroglyficas literas fuisse inuentas, quales erant primogeniti, quas Chamitis & Aegyptiacis regibus darent necesse est, ut liceret retinere sacrosanctas illas & primas tanquā multo secretiores, quæ à mathematico pendent principio. Nam sicut tota scriptura sacra constat puncto linea & superficie in corpus ducta, ad retinendam summam mathe

sim quæ de sapientia Dei certißima agit: sic opus erat Ieroglyficam per similitudines instar Rhetorices in Aegypto esse in summo genere. Vnde necesse est antiquißimos esse hominũ, qui illis utantur characteribus in Occidente. Sed utut res habeat, ea omnia à iure Noachi per filiorum primogeniturã profecta esse constat. Quum itaq; etiam nostro sæculo obstinatißimè inhærere soli Pentateucho & Moseos libris in Samaritano charactere scriptis uideamus paucos illos Iudæos qui circa Syriam supersunt, nec alia ratione iam olim à consortio communis Ecclesiæ defecisse, quàm quia publicè expositam fuisse legem Dei quinq; uoluminibus scriptam, & charactere ab illis fideliter seruato exaratam Mosem sciebant, cui aliquid consequentiũ scripturarũ addere nefas ducebant. Itaq; manifestißimè constat, per 10. tribuũ à semine filij Isai, id est Dauide, defectionem, & solius Pentateuchi in lingua Samaritana cõseruationem, Mosem in alia lingua accepisse tabulas, & in alia 12. uoluminibus sub decimotertio transcripsisse quinque libros, ita ut populi nossent Samaritanum, ueluti publicum characterem: nec ullo modo uellent factiosi addi illas sacras historias leges doctrinas & profetias, quas spiritus Mosis in 72. senibus agens singulis suggerebat seculis, usque ad Christum. Sic iam per antiquitatem uetusti characteris Gallici statim à diluuio ibi publica-

ti,

ti, similiter per quinq; librorum publicam expositionem inter populares, ut soli tres Iuda Biniamin & Leui remanerent in fide omnium scripturarum, 10. tribus nomine Additionum deficerent: similiter per monetam publicam, & per nomen Dei in uetustis seruatum libris in nomine Iehouah abbreuiato, constat quòd erant in usu populari Samaritani characteres. Quum autem idem sit sibi idem, multo magis quàm alteri, & constet Græcas literas à Cadmo allatas in Græciam Atticam, (nam pridem & à diluuio statim habuerat suo modo corrupto Ionia. unde postea Homeri est adhibita, sicuti & Cadmi correctio) fuisse, imò adhuc esse idem cum seipsis, dempta emendatione ubiq; rerum humanarū, semperq; necessaria: negari non potest, quin Gallicus seu Græcus & Latinus, seu deprauatus character sit idem cum Samaritano. Et sic ab exteriori lingua patrum, sicut & ab interiori, sunt duæ. À Diuina duæ Chaldææ, diuinis occupatæ. Sub patriarcha Maronitarum Antiocheno sub quo etiam totus militat Oriens Christo, est prima. Altera Babylonica est in Alcorano, ut uisum est. À populari autem & publica sunt exortæ duæ præstantissimæ, quod ad res humanas & Christi gloriam duce ratione asserendam, & in æterno titulo ponendam attinet, nempe Græca & Latina. Græca oriētalis, licet posterior, tamē prius emicuit, quàm Gal

 lica

lica et occidua, ſicut et Imperiū. ſed Latina omnia expolitiora fecit. Sic quū à Gallia, ubi prius fuit, debuiſſet progredi, tamen eſt ubiuis gentium prius expoſita. Prius enim eſt in mente, quod ultimū eſt in effectu, eo quòd ibi omnia ad ſua reduci primordia opus eſt. Fons uerò omnium eſt litera ueritatis æternæ, nunquam in ſuum finem aut ueram figurā deducta, eo quòd ad hanc diem illi regnum, quod illam aſſereret, defuit: nec antequā in ſuas reſtitueretur figuras, promoueri æterno debuit imperio. Nil enim coinquinatum in reip. æternæ principijs admitti debet. Sic habent, ut in tabulis.

DE LATINIS LITERIS, & Græcis. Cap. 10.

NOn tantum in Cadmum refert Græcas literas Plinius, ſed etiam Latinas, addito etiam illarum quas inuenit numero. Alij in Nicoſtratam Euandri: ita ut in hiſtorijs quæ aliquid Græcitatis habent, ſit certiſſimum, nil eſſe certi. Quoties enim ſua dedit, omnia profanauit. Teſtis totus Oriens, poſt Alexandrum confuſus. Teſtes uniuerſæ hiſtoriæ, fabulis maculatæ. Teſtis religio idololatrijs aucta, & dicacitate Græca profanata. Teſtis Iudaica gens omnino ſubacta, à quo Græco aſſueuit eloquio. Teſtis Roma, corruptelis uniuerſi à Græcarum monumentis literarum oppleta. Quid noſtro

seculo attulerit, præter anarchiæ cupidinem, & re-rum omnium effrenatam licẽtiam, nondum uideo. Scio primaria in illa exercitatione uiros quàm plurimos in atheismum degenerasse. Sunt enim illæ literæ, præter sacras, seminarium totius falsitatis, et labes reip. quod uel in Aristotelis, qui est inter præstantissimos hactenus habitus, scriptis uideas: unde spinosa & nunquam resoluta in uniuerso nugacitas est oborta. A` simplici itaq; uetustorum authorum Latinorum aut Chaldæorũ, sacrorum'ue consensu capiemus fidem: quibus si concordabũt Græci, tunc recipiemus. Præter literas Hetruscas, quæ olim fuerunt in usu sacrorum, constat Græcas literas ubiuis fuisse. Quum enim, teste cum tota antiquitate Xenophonte & Cæsare Dictatore, 6. millium annorum spacio Hispano, quo comprehenduntur bis mille magni & communes, fuerint in Gallia & Hispania, totoq; Occidẽte, (nam à Gallis & Celtis tota Europa olim Celtarum uocabulum habebat, ob ius Dyri, seu Atali, Itali'ue, aut Athlantis, qui & Iapetus est) literæ Græcæ, seu malueris Samaritanæ & Gallicæ: quumq; inter capitales formas Latinarum modernarum & Græcarum nil aut parum sit differentiæ, uitio aut usui nationum est ascribendum, quòd mutuò ualde in minusculis differunt: sed multo magis Græci inter se, quàm Græci & Latini simul. istæ enim, A

B D E H I K L M N O P R S T V X *nil habent differentiæ, nisi quia* De *ex* Δ *triangulo rotundum factum est.* H *loco* H *heta, pro aspiratione* Latinis, *& non pro litera ut* Græcis *mansit.* ∠ *est inuersum uero more Samaritano, sicut in* Armenicis. *habet angulũ sursum* Λ *in Græcia & India, in sinistrum autem in* Chaldæa. P *ex* Γ *quadrato rotundum est.* P *est in* Latinis *addita particula* R. Chi *ex aspirata facta est latinè dupla,* x. G *autem ex* Γ *anguloso rotunda facta est, & usu Thusco cœpit proferri in* Græcis, *ubi dicũt* Vinegia *pro* Venetia. *Nam in affinibus olim magna erat familiaritas, ut dicerent geruum pro ceruo, quod hodie est frequens.* Q *autem ex cof* ϙ *Samaritano est, & pro litera habemus latinè, quum* Græci *pro sola nota numerorum in* 90. *eo quòd neutra habet zade.* F *Latinum &* γ *Græcum reuera ex* Vau *Samaritano est. ob id* V *Latinum occupauit in uetusta forma cum ipsilo mutato à loco suo.* F *autem est posita in sexto loco, ubi debet esse* Fau *uel* Vau, *in cuius loco etiam* Græci *numerũ* ς *suppleuerunt.* Quare *necesse est ut in arbitrio & consensu eiusdem populi fuerit &* Græca *seu* Gallica, *&* Latina *lingua.* Sed *quia res erat patribus usitatißima facere notas, ideo sunt uarijs alfabetis deprauatæ linguæ: quod facilè patet consideranti.* Quatuor *enim adhuc esse in usu uidentur, quæ à* Græca, *ad-*

ea, additis aut deprauatis aliquot characteribus, dimanarunt. Nam Seruiana, Dalmatica, Georgiana & Ceffitica, Græca corrupta est. In Indica autem & Armenica sunt à Græcis & Latinis & Hebræis mutuati characteres. Magnum tamen est, quod nisi apud Latinos & Armenios, litera Sin seu Σ triceps non perdidit formam. Sed literas Latinas fuisse sacrarum rerum & mysteriorum custodiæ addictas, arguit, quòd in uarijs Ethruscorum (quos dubium non est fuisse primos Italiæ incolas) alfabetis uidentur certißima inuersionis uestigia. Nam in alfabeto, quod à dextra in sinistram uadit more prisco & sancto, uidetur A B F I L M N O V X Z Y in loco suo, licet ipsi Y tribuatur potestas ch. Vnde constat, peruersis aut alteratis loco uel figura cæteris, hoc ipsum esse quod dixi, nempe ut de industria motæ loco sint. R enim in loco Δ & D in loco R uidetur. Similiter Σ seu S es inuersum in loco Ꞁ Gamma, & Ꞁ in eius loco positum. Sed in alio alfabeto posito nostro more, ponuntur O N M I seu Ꞁ & l, pro a b c d e, &c.

Hoc ipsum uerò uidetur etiam in Gotticis contigisse. A enim & b & γ seu Gamma, aut c & l & Λ g R T uidẽtur Latinæ & Græcæ linguæ seruare uestigia. Hoc enim erat à Samaritano charactere fieri solitum, ut in ᵓ, quod more Samaritano sic fit ɓ in < lamed quod sic Λ in ב pe, quod

c s sit

ſic Γ. & Ν, quod ſic Σ. Omnes enim literæ, aut figuræ alteratione, aut ſecundũ ſex poſitiones obliquatione, ut m ɱ ʒ ɯ ɯ ɯ, aut loci mutatione alterantur. Sed quorũ uſus intercidit, nil ad nos. Licet enim multa antiquitatis & rerũ ſacrarũ monumenta poßint tam ex Ethruſcis & Gotticis, quàm ex alijs inuſitatis & Latinæ figuræ affinibus repeti, ſi lingua illa non intercidiſſet: tamen hoc nobis eſt propoſitum, ut oſtenſa earum linguarũ quæ hodie in uniuerſo maximæ ſunt, origme, ſatagamus, omißis his Babylonicis, ad illam unam repedare, quam in ambitioſa proprij nominis celebritate ſub Nemrodo perdidimus: ut ſicut æterna lex eſt in nobis duce ratione reſtituenda, & per uarias ratiocinationis uias repetenda, ſic per neceſſariarum linguarum anfractus repedare ad illam, unde uniuerſi decidimus, ſatagamus. Venimus ab æterna prima & mathematica, quæ ſemper eſt idem, omnia per Iod ſignificata componẽs, & literis uarijs inde compoſitis exprimens, et eſt ſemper diuerſum omnia diſtinctè demonſtrans, & eſt ſemper ſubſtantia ab eodem & à diuerſo proprietates eliciẽs: Venimus autem per illam in Chaldaicam orientalem, id eſt Arabicam & Chaldaicam occiduam. Illa igitur, tanquam quæ in uniuerſo latißimè in loco matris ſuæ diſtenditur, eſt ediſcenda, & ſenſim ad Adami linguam reducẽda. Græca autem & La-

tina,

tina, quæ reuera ſeiungi in charactere nequit. agni ta ſua matre Samaritana, quæ ueluti pediſſequa tantæ reginæ eſt, et popularis, feſtinabit ſenſim abolere ſeipſam, & ſuos theſauros ad æternam matrem cum infinito lucro deferre. Erat enim indignum, ut lingua illa angelis communis, perditis traderetur hominibus ante tempus, aut in ſua maieſtate à ſuis etiam domeſticis uideretur, priuſquam eius ancillæ uniuerſæ cõgregaſſent opes infinitas, quas in illam referrent. Sic opus fuit encyclopædiã à Græcis & Latinis interim modo interiori excoli, & rerum externarũ monumenta ſeruari: in Chaldæa autem, ſeu adulterata Hebraica, quæ Arabica eſt, ſeruatum eſt omnium filiorum Orientis & Aegyptiorum ſeminarium. Inde tam latè in tota Aſia & Africa ſpargi Deus Alcoranũ uoluit. Fœminina Aethiopica, quæ eſt Precioſi Ioannis, innumeras opes & aromata in templũ Solomonis adferet nunc. Quam ſit Armenica, ſeu communis, ſeu Haloenſis, ipſa per ſe docebit. Iſtæ enim duæ, uidelicet Armenica à dextris, et Aethiopica à ſiniſtris uenientiũ ad Occaſum, habent neſcio quid, quod ſit ita proprium, ut cum nulla alia conueniãt: & aliquid ita affine, ut quædã elementa ſalua inuerſione & prolationis alteratione, ab Hebræis, Græcis & Latinis non abhorreãt. mutuò uerò in articulo za conueniunt.

DE ALIIS LINGVIS IN generali. Cap. II.

QVum in una tabula ob oculos ponere uniuersi characteres decreuerim, ut fons cum riuulis, simileq; cum dißimili uideri & cōponi poßit: cæterùm ut in prima editione notaueram, seorsim omnia sint in suos populos referēda, aucta aliquantulum Grammatica, generaliter de cæteris linguis sermonem facere uisum est. Certißimū est, in toto illo orbe qui à regno Persarum usq; ad Cataium, & inde ad Moluccas & Septentriones, donec etiam terra aut mari uenias ad Temistitam, et inde in Americam, delitescere etiam uaria characterum genera, quæ nec nos, nec quiuis alius exposuit. Sed quum in omnium restitutione sint omnia ad unitatem reducenda, tam in locutione & charactere, quàm in lingua, nil est quod immoremur in multiplicatione ista: sed magis conandum est, ut agnita origine præsentium, in eam relictis riuulis repedemus. Quum enim constet, uniuersi imperatorem primum Adamum fuisse à finibus Orientis Chaldææ seu Syriæ regionis, ubi est Paradisus terrestris, in occasum instar motus primi mobilis impulsum, ita ut sedē suam in Hebron in terra sancta fecerit, cum loco sacro speluncæ duplicis per eius sepulturæ reliquias constituto: Noachus alter imperator mundi Armenia post diluuium ortus, per

eandem

eandem Syriam in Italiam traduxit Imperij ius, & corporis reliquijs Ianiculum postea Romæ oppositum sacrum locum fecit. Et sic orbis ab ortu in occasum, secundum motum primi mobilis est absolutus. Vnde ad instar motus planetarum nunc opus est illuc repedare, & ab immobilitate imperij Italici in Syriam, demũ etiam in Orientem, ad loca Paradisi regredi, & in æternũ stare. Ideo duo sunt modi scribendi ab homine septentrioni, seu sinistræ & parti materiali mundi obuerso. Sicut enim illi primò uoluitur cœlum primi mobilis ab ortu in occasum, à dextra in sinistrã: sic scribat necesse est, à dextra in sinistrã. Ideo lingua sancta, tam Samaritana seu publica, quàm sacra seu mystica, sic scribitur. Gallorum autem parens Ianus, unà cum filijs primogenitis in Occidente, uoluit earundem literarũ inuerti usum. Ideo Græci seu Galli, qui Græcis in usu literarum sunt 20. seculis priores, & Latini, literas Samaritanas inuerso ordine ab occasu in ortum, seu à sinistra in dextram scribunt, cursu planetarum uiuifico. Contrarium enim est seculum futurum præcedenti. Malè enim & à sinistra incipiens, finiet in dextra, semper proficiendo: quum præteritum fecerit contrarium, eo quòd non intellectis, sed solummodo creditis principijs Antiquitas hactenus quid fecerit nesciuit. Ideo duæ neutræ linguæ, & populis religiosißimis in dextra et sinistræ

parte terræ ſanctæ poſitis cõmunes, nempe Aethio pica et Armenica, more occiduo et planetari ſcribũ tur. Scripta eſt aliquãdo & Thuſca, licet etiã alio ſeruetur modo. Gothica nobis cõſentit: omnes filiæ Græciæ ſimiliter. ueluti eſt Syrmiana, ſeu Seruiana, Dalmatica, Georgiana & Iacobitica. Hebraica myſtica & communis, cum duabus Chaldæis, incedit ritu priſco. Sed ſunt fractæ illius motus tabulæ, propter μοσχολατρείαν, aut potius ἑαυτολατρείαν, φιλαυτίαν'ue, donec per noſtri aſinini & uitulini corporis μισονίαν, μισομοσχίαν, & αὐταρνείαν, ſecundæ reſtaurẽtur, et nunquã frangantur.

DE MENTIS, VOCABVLORVM, & characterum, ſcripturæq́ uirtute. Cap. 12.

Conſtat ex eo, quòd nil in tota rerum natura ſibi ipſi poteſt dare eſſentiam, omnia in eſſe ſuiſſe, à quadam quæ omnes antecedat uoluntate, deducta. Certum itaq; eſt, uoluntatem ſuperiorẽ in cauſa eſſe, ut omnia ſint. Ideo præſens mundus à Deo per ſapientiam creatam, ſeu ſpiritũ Dei mobilem, & uniuerſis rebus applicabilẽ regitur. uocant illum ſpiritum Filoſofi intellectum agentem & poßibilẽ, cuius uniuerſi intellectus humani ſunt partes. Vt autem res poßint ſenſim perfectionem conſequi, partim in ipſis rebus, ueluti ut ſeipſa con

ſeruent,

seruent, crescantq; et multiplicēt, est positum: partim ab humano pendet arbitrio. Voluntate menté ue diuina, miracula, spectra, præstigias, incantationesq; excitari, constat. Hinc euocatio, non tantum dæmonum, spirituum & geniorum, sed etiam fulminum. Hinc angelorum cōciliationes. Sed tam potens est uoluntas inferior, ut lubenter illi subesse uelit diuina: ueluti in benedictionibus aut maledictionibus patrum, in aquarum maledictionū experimento, in sacramentorum mysterijs. Ligat enim Christus, aut soluit, quæ iam ab Adamo per Noachum, Abrahamū, Mosem, Aharon & Petrum, ad nos usq; in uirtute unionis fidelium ligantur aut soluuntur. Quum autem sacramenta & benedictiones in utroq; Testamento præconceptis formis uerborum obseruētur, etiam in uerbis, nedum in mente, uim esse abditam patet. Hinc etiam Romanis olim nomen Iosef, Abrac dabar, id est, pater tenuis moderator, corrūptè Abracadabra, et instar trianguli scriptum, erat morborum amuletum, teste Columela. Hinc leges, incantationes et imprecationes uerbis exprimi solitas prohibebant. Hinc Carminatores ubiuis noti. Sed in literis latêre mysteria, nedum in uocabulis, spiritus, qui una litera He addita nomini Abrahamo & Saræ per Mosem loquitur, manifestè arguit. multo magis, quum dicit per magnum nomē Iehouah conuenisse Mosem, quum

loquere-

loqueretur Abrahamo & patribus in El Sadai. Summam sui manifestationem spiritus Dei uniuersi arbiter in nomine Ehieh monstrauit. Constat Orientali & Aegyptia disciplina, similiter & probatißimis facinoribus Strigum aut Lamiarum ubiuis gentium notarum, à mente nostra carminibus, uocibus, scriptis aut uotis imperari potentijs separatis. Hinc patres antiqui omnia in Vrim & Tumin respõsa uidebant, postquam sacris infulis indutus Pontifex illas literas quæ ibi in 12. gemmis erãt descriptæ, suo assensu & præsentia uiuificasset. Hinc uaria ratione ob animorum mutationem nomina uaria imponebantur uiris bonis. Ideo summopere erat cautum, ne nomina prima ciuitatũ scirentur in nomine proprio, ne euocaretur genius. Hinc Roma fuit nomine abscondito 1500. annis sub Antipoli in Ianiculo, et sub Saturnia in Capitolio, ante Rumum & Rumulum: ita ut dea silentij Angerona cum sigillato ore eâ de re coleretur. Nam eius numen euocari aliò timebant, quòd inuento hominis capite ex Capitolio tentauit facere Olenus Ethruscus augur. Hæc est ratio, cur literis Ethruscis nil potest legi, quia inuerso pro ritu 12. tribuum seu gentium ordine, loco, figuraq; characterum, singuli suorum geniorum tunc familiarißimorum abscondere nomina satagebant. Semper enim sapiẽtes sunt usi duabus linguis & disciplinis. Hinc

factum

factum est, ut literæ Gallicæ Samaritanæ'ue in tanto sint silentio in Gallia & Hispania, in quanto Hetruscæ. Quòd enim uerba Græca Græcis figuris forent coniuncta, non est expressum à Cæsare. Focenses potuerant uerba ab Ellade attulisse. Primogenitus Itali Gomerus in Ethruria Ethruscis usus est, sicut quartogenitus Samothes Gallus meras Samaritanas seu Gallicas publicauit. Fuit uerò tota primogenita Iani seu Noachi posteritas Gallica, id est, à fluctib. erepa: quod nomē mansit nostratibus.

DE VTRIVSQVE LINGVAE historia. Cap. 13.

QVum satis orbi innotuerit, quid Græca & Latina lingua orbi attulerint, quónā pacto incogitantes titulum crucis Christi rationibus ualidißimis confirmarint, dum uirtutem esse in arduo positam docuere, & in benefaciendo, aduersaq; generose patiendo, nomine ararum patriæ & Larium summum humanæ uitæ specimen esse tradiderunt: nō agam de illis, sed tam reconditæ quàm exterioris Mosaicæ historiam subiungam. Suppono hic argumenta, quæ de duplici lingua in principio, & de Samaritana tractando adduxi. Disseminare uario semine humanum genus Deus uoluit, ut mundus omnibus olim esset in omniū hæreditate, qui in omniū fuisset aliquando occupatione. Gens

legis naturæ ante diluuium uniuersum orbem repleuerat. excidit diluuio. Noachus seruauit mentē bonam, loquelam, literas, disciplinas, & omnia maiorum instituta. Eius liberi tres orbis partes habitarunt: Sem Asiam, & Iafet Europam, Cham Africam. Confuso tamen circa Babylonem semine, fuere ex Sem, Cham & Iafet. Fixa à Iano sede monarchiæ Romæ, seu in Ianiculo, ubi Antipolis fuit: Abrahamus fundauit nouum genus, ita ut in India eius posteritas dicta concubinarum filiorum nomine, sit prius nomine Iudaico donata, quàm Iudæi speciales. Seruabant enim circuncisionē, licet non crederent Meßiæ neceßitatem. Itaq; antequam ex Aegypto exirent, iam in tota Syria, Aegypto, Armenia, Colchide, Iberia, Paphlagonia, Chaldæa & India circuncisione cum Iudæis conueniebatur. Synceriores Iudæi sub duplici electorum ordine à Mose usque ad Solomonem unà egerunt. Per uaria bella sub iudicibus non est dubiū fuisse ubiuis gentium à Palæstinis distractos. Sed multo maximè sunt à seipsis destructi sub regibus, factionibus incitando hostes. Religiosis quidem habitatoribus, & qui spiritum seu intellectum agentem & patientē, sub nomine & similitudine maris & fœminæ, seu Iouis & Iunonis, seu Cœli & Vestæ, Solis & Lunæ, formæ & materiæ separatæ colerent, Noe instituerat mundū: sed per captiuitates postea Deus

uoluit

uoluit Iudæos in uniuersum distendi, ut in illis rideretur Iesus, qui per eorum scripturã ab uniuerso spretam, esset uniuersum illuminaturus. Illis autẽ in sua rep. exterminatis, successere Christiani, inserti super illos, quorum semen ubiuis in hoc hemisferio hactenus patuit. Iudæis uerò publica functiò iam totis 1200. annis abest. Reliquiæ itaq; illorum sunt hodie tripartitæ. Sunt enim, qui quinq; libros Mosis, ut sunt dati à Mose, seruent, in plerisq; Asiæ locis, circa Syriam. Hi uerò nunquam sunt in seruitutem Salmanasaris abducti, ultra Mediæ fines, ubi 10 tribus erant relegatæ. Alij dicuntur Caraim, quòd textuũ lectioni, repudiatis Misnaioth, Thalmud, & quibusq; commentarijs, inhæreant. Vtraque est communibus & uulgò notis odiosa gens. Exulant ferè à toto orbe Latino Iudæi Thalmudici. Sunt aliquot Caraini, ubi est Iudæorum magna copia, sicut Constantinopoli. Qui sunt uulgares, satis noti sunt. Illi habẽt in usu in toto orbe literam æternam, ab illis in ea perfectione incognitã. Differũt uerò in ritu, & aliquot lectionibus uarijs Orientales cum occiduis. Caraini non differũt charactere. Samaritani, seu Somronim, seruant fontem Latini & Græci elementi, ut suprà docuimus.

DE MVLTIPLICI DISCIPLINA ex fonte Moſaicæ legis deducta, & quando primùm incœpit ſeruari à patribus. Cap. 14.

MVlti neoterici ſcriptores, non indigni qui legantur, donec illuceſcat lumen perfectũ, tractarunt de doctrina illa quæ ex Moſe deducta eſt: ſed tamen quando & qua ratione orta ſit reuera lex, & eius interpretũ uarietas, non ſatis notarunt: quibus ipſis perinde ut Poegrafis *ſeu* Herbiſcribis *authoribus contigit, dum putãt quæ ſibi doml familiariterq; nota ſunt, eſſe etiã cuiuis & ubiuis nota, abſtinent ab originum & deſcriptionis explicatione.* Attendendum *itaque diligentiſsimè eſt origini rerum, ſed maximè ſacrarum, ſicut & literarum.* Nam *niſi & characterum & authorum fides ſit certa, nil certi eſſe poteſt.* Video *in uulgari conſenſu* Iudæorum, *Iſmaelitarum,* Alcoranicorum'ue, Euangelicorum, *& quarumuis ſectarum inde deductarum populo eſſe receptum traditione magis quàm hiſtoria, quòd lex ſcripta diuinitùs in tabulis ſaxeis ſit primò data* Moſi. Conſtat *quidẽ per ipſius legis diuinæ ſibi ipſi danti teſtimoniũ, quòd lex eſt data in tabulis lapideis, quod & tradi tione & hiſtoria conſtat, teſte populo* Dei: *quem potuiſſe falli in diſcuſsione tantæ ueritatis, quæ ad*

uniuerſum

uniuerſum olim pertineret, eſt impoßibile, quum Deus minimarum rerum per ſpiritum ſuum curam habeat, nedum primæ ueritatis mundi. Sed in hoc hallucinantur ferè uniuerſi, quòd putant quinq; libros Moſis cœlitùs inſtar 10. Præceptorũ ſcriptos, eo quòd abſolutè nomine Legis appellãtur: & ideo ſoli à Samaritanis, tanquam à Deo miraculoſe ſcripti, recipiuntur. Scripſit quidẽ Moſes libros quinque, & non plures, nec pauciores, in quibus ipſis admiſcuit diuinitùs ſcripta in tabulis, & primis fractis, & ſecundis inuiolabilibus: & ea omnia ſapientiæ diuinæ documenta, quæ iam per manus patrum ab Adamo ad Noachum, & inde per bonos Abrahamum, & per Sem ſeu Melchiſedec ad eundẽ iam circunciſum & omnia legalia ſeruantem uenerãt, ad ipſum Moſem adiunxit, dupliciq; charactere ſacroſanctum librum fecit, ſuppreſſo omnino receptionis nomine: ueluti potuiſſet facere per Tribonianum Iuſtinianus, quum ex innumeris uoluminibus, iam ex non uſu antiquatis unum legum Romanarum opus conſarcinauit, ſi ſuppreſſo priſcorum nomine hoc ipſum feciſſet. In profeta enim ſeptimo ab Adamo, & qui poſt exactam Adami uitam circiter milleſimo anno à principio numerationis motus cœli in eius locum eſt (ne Deus ullo modo ſua fraudaretur intentione) raptus in Paradiſum, omnia præcepta & mandata, leges & cæremonias ſpi

 ritus

ritus sanctus tanquã in suo libro scripserat, ut qui ferè trecentis annis Adamum docentem audierat. Nam per Razielem omnia diuinitùs acceperat Adam, quæ nõ natura simpliciter, sed per gratiæ mysteria debebant reuelari, donec lex æterna omnibus mentibus inscripta, & ab illo proscripta, ad nos rediret, & nos à tyrannide legis liberaret. Ideo nulla scriptura in toto mundo prior est libris Hanochi, qui conseruantur canonicè, ut decet, & in maiori quàm Moses (si dici posset) authoritate habentur in ecclesia reginæ Sabba, ex quibus illa aromata & res preciosæ uereq; sunt adfuturæ Solomonis aulæ, quarum typos mortali attulit. Ideo offerebat Noe Gallorum parens uictimas sanguinarias, hostias de mundis, & non de immũdis animalibus, quia omnia erant distincta ante diluuium. Ideo uocatus est Og in sacris commentarijs, alibi Ogys & Ogyges, quia erat placentarius, seu uniuersi sacerdos, offerens placentas seu panes propositionis Deo: qui Og & Ogoth in sacris dicuntur, eo quòd remedium peccati fore sciebat in sanguine humano Deo unito, & per omnia innocenti, cuius typus in uetustis erat sacrificijs nil ad perfectum adducentibus. demum cõsummationem uniuersi fore in æterni testamenti, id est panis uiniq; mysterijs, quorum quum in Ianiculo positis sub Gomeritis Gallis Razinuis 12. tribubus, & sacris in Occidente expositis, est

tis, est sepultus, fecit hæredem Melchisedech siue Sem, ut ipse, in cuius tabernaculis temporalibus Iapetus maior natu esset habitaturus, daret illi gratiæ mysteria. Licet enim uideatur nobis gratia quàm natura nobilior, eo quòd in peccatis nos concepit mater nostra: tamen reuera est inferior, tanquã fœmina sub masculo, Christus homo sub Deo, materia sub forma, recipiens sub infundente. Ideo Abraham accipit benedictionem eius cum oblatione panis & uini, ut ostenderetur, Ogygis ius non tantum fuisse ad sacrificia sanguinaria de mundis animalibus, pro populo fundenda: sed ad consummans sacrificium sacrosanctorum panum, de quibus liceret solis uesci sacerdotibus. Sic quum esset scriptura sacra ante diluuium (quod uel ex Sabbathæ nurus Ogygis libris, inscriptis ab ipsa quæ est Sibylla Babylonica, patet) quum sacrificium & populi & sacerdotale tunc fuerit, quum leges, iudicia & cæremonias Abraham seruarit, dubium non est quin delitesceret apud patres Moses sensim auctus, donec colligeretur illa doctrina: & non tantum secreta, sed publica fieret, omnia quinq; libris ueluti elementis continẽs, & exponẽs quæ sunt in natura superiori diuinæ sapientiæ abscondita: sicut cœlum & quatuor elementa materialia omnia sensibilia continent, & sensim promunt. Vt autem patêret tacitè, quòd Moses collegit decreta patrum

in unum, addita est fini ultimi libri, eius mors à Iosue eius successore, licet de suo obitu potuerit proinde ut de præterito scribere. Siquidem Moses nominis Dei summi uirtutem omnia referantem in se habuit: unde proinde futura ad generis humani ordinem pertinentia nouerat, ut præsentia uidebat. Quum autem quicquid in fidei articulis tam apud Iudæos quàm apud nos fuit, sit perinde æterna ueritas, ut quæ duce ratione omnium mentibus inscribitur: necesse est, ad ueritatem illius articuli, quo legem Dei immutabilem esse asseuerant Iudæi, ut lex non incœperit sub Mose, sed sub ipso Adamo, ubi commisso in Deum infinitum peccato, posteritatē legi fidei obligauit, donec restituātur omnia. Erat itaq; lex oris & sacræ traditionis in lingua sancta abscondita apud patres legis naturæ & interlegij, seu reformationis mūdi, quod est tempus sub Noachi primogenitura & sacerdotio usq; ad Abrahamum, & inde usq; ad Mosem: ita ut patres semper duplicem legem haberent, naturalem toti mundo cōmunem, & legem oris seu paternæ traditionis, quæ publica nisi dignis & mortificatis, silentioq; & laboribus formatis, probatisq; & primogenitis facti uel iuris, nunquam fiebat: ut quum publica olim à Mose fieret, ueluti noua uideretur. Nam usitata, quantumuis uera, fastidimus cum tempore. Ideo semper ad hancusque diem (ubi restaurari omnia

opus est) fuit gloria Dei abscōdere uerbum, ut esset singulis temporibus semper proficiendo, gloria regum, id est sui in primis potentiū & uictorum, illud Dei uerbum exponere, donec in quarta & ultima Ecclesiæ ætate sub Maternitatis spiritu complectantur omnes intelligentiæ sacræ. Sed quæret aliquis, si lex esset omnino immutabilis, & sciebant patres ueritates de promißione salutis incarnandæ, & utranq; baßim, hoc est paternam & maternam radicis nostræ, à qua excidimus per peccatum, ad nos rediture mysteriū, ad quid ergo est uocatus Abraham? Certè antequam diceretur Abrahamo, ut relictis omnibus instar ueri nudiq; ciuis mundi, se probaret Deo, iam reliquerat omnia in Chaldæa, & uenerat in Mesopotamiam: ita ut diuina uocatio nil aliud sit, quàm complementum iam incœpti ab eo operis, tam ut nobis eius posteris manifesta & exemplaris talis conuersio esset, quàm ut à Mesopotamia usq; ad terram sepulturæ Adami uicinam ueniret. Longè sanè fuit difficilius homini et principi præpotenti auitas relinquere opes, & instar aduenæ palabundum labores & miseriam corporalem sequi, quàm circuncisione fidem confirmare. Sed tunc mundus talia non capiebat. Credidit itaque, & fuit circuncisus uera fide & circuncisione, antequam ad illam quæ extrà patet ueniretur. Sic antequam præcise de die circuncisio-

nis suæ & Ismaelis specialiter iubeatur, circunciditur, ut de circunciso nasceretur Isaac. Sic fecit omnino legem quadringentis annis, antequam publicè exponeretur. Ideo lex non fuit mutata, quatenus est substantia ueritatis: sicut illud quod est substantia, nunquam mutatur. Sed in salutis uniuersi nomine, & nomine uirtuteq; uaria secundum ætates accidentia recipit, ita ut unum Iod aut unus eius apiculus non transeat, sit'ue decisurum, donec omnia fiant, in perfectißimo essendi modo. Sicut itaque ante Mosem, præter illa 10. uerba quæ diuinitus ad confirmationem literarum diuinarum in lapideis tabulis insculptarum data sunt: ita à tempore peccati erat, ut substantialia eius fundamenta ubiuis duce natura ferè cognita mente, sed non facto, semper eadem fuerint. Ea de re quum Moses ceremonialia expreßisset latißimè causa incapacitatis populi, aut duriciei cordis eorum, multa admodum ueluti parerga temporariaq; et appendices legi adnectens, liberè postea pronunciant Profetæ, talia nunquam requisiuisse Deum de manibus eorũ, eo quòd essent illa præcepta non bona in fine, quæ bona tantum ad finem, & non ultra erant: in quibus tamen ipsis summum humanæ operationis bonum ponebant, adq; hanc usq; diem ponunt Iudæi, ueluti nostrates in elementaribus ceremonijs multis, ad tempus ab ipsis olim Apostolis ordinatis. Lex igi-

tur

tur Mosis ab ore Adami primò est recepta, & ab Henocho septimo principe mundi ob uitæ integritatem scripta, & per partes ad Noachum Ogyn deducta, quam furto surripuit à Iano ipso atauo suo Nemrodus Babylonici imperij parens, ut malè uteretur fascinando populos. In ea enim sunt artes colligandorum spirituum terrestrium, cœlestium & supracœlestium, quæ impijs fuere tanquam gladius in furiosi manu. Sic tradit ex ipsius Chaldaicæ historiæ monumentis publicis Berosus, Nemrodum, Saturnum uidelicet Babylonicũ, furatũ fuisse à Ioue Ianoue seu Noacho rituales libros, quos illi alioqui, eo quod esset Chami seu Cham esenui propago, ob maledictionem habere non licebat. Inter diluuium & Mosem multiplex doctrina profluxit ex illa diuina lege. Siquidem rerum ueritas potest saltem tripliciter haberi, uia elementari, uia cœlesti, et uia supracœlesti. Sic enim distinxit Hanoch, antequam de profetia agatur. Scriptura non notat disciplinæ traditionem expressam: sed necesse est, quum tanta authoritate fuerit Melchisedech pontifex ultimus legis naturæ, secundogenitus Noachi, ut Christus debeat esse secundũ eius ordinem, quem per benedictionem & oblationem panis et uini contulit Abrahamo, iam per 10. gradus à se descendenti nepoti, ut haberet doctrinam ritualem pontificũ priscorum, qua reformaret in Abrahamo posteritatem,

tem. Quos autem populos & celeberrimo nomine suo, & præsentia personæ suæ, & regni sede, & quod maximum est, sacrosanctis exuuijs donauit Ianus, quin etiam ritualibus & omni sapientiæ genere formarit, dubium non est. Auitum nomẽ Gallorum dedit Gallis Gomeri primogeniti Iapeti primogeniti sui, unde à Gallis, Vmbri et Ethrusci, seu Thuscani Thusci'ue orti sunt, & inde Galli. Docuit sacras disciplinas inter Razi Inuos, eiusdem prouinciæ in 12. tribubus olim habitatores. Cæterùm ita profecit in eius schola Samothes Gallus, dictus Dis (eo quod humanum fastigiũ supergressus, instar Dei & cœlestis numinis sibi satis erat gratia duce) ut eius tempore nullus in toto orbe fuerit illi conferendus. Sacris reliquijs & orbi sæculi aurei longè magis uenerandis, quàm nobis Christi sepulchrum, aut Ismaelitis Muhamedicũ, ornari uoluit Ianiculum montem: donec abolita fraude satanæ, uera religione, & in idololatriam uersa, Christus in Petro duodenarij gregis primogenito, uoluit super eundem montem crucifigi: ita ut Ianiculum mons, septem oppositis ab Occidẽte obiectus, Romæ seruarit Iani memoriam ad tempora Petri: & postea sanctus Petrus Montorius sit dictus, sic conseruante sua iura Iesu. Sic sunt natæ duæ disciplinæ: Gallica, quæ tandem ad Druidas & Bardos uenit: Ethrusca, quæ secretior semper & my-

steriosa fuit. ita ut Gallica publicè exposita, fuerit instar legis scriptæ: Ethrusca instar secretioris seu Cabalæ, qua euocari omnia nomina poterant, & maximè genia locorum sollicitari ad defectionem. Vnde notis & aßidua inuersione characteres Ethrusci in singulis ferè locis 22 literarum, numeris & figura alterabantur. Sicut enim tessera militaris cõspiratis tantum & non alijs signum dabat, sic & notæ inter eiusdem ciuitatis alumnos. Hodie est adhuc hoc mysterij in usu apud legatos & principes, ut notis & lingua communi scribant. Sed hæc periere in Occidente, donec secundogenitus Melchisedech sacerdos regnasset in Oriẽte, & interim donec in tabernaculis Semi habitet mirabiliter dilatatus Iafet. Nam antequam ueniret in Occidentem ad instaurandũ regnum, quod ad busta Adami ruiturum olim nouerat Ianus futuromniscius, instituerat in Ortu duo gymnasia: unum secretioris disciplinæ in Armenia, cui præfecit Sabbathiũ Sagam, cum literis & disciplinis quæ nunquã ad nos peruenere, nisi per memorias Chaldaicas à Beroso publicè expositas. Vnde crediderim facile (nam res facti scire nõ possum, licet omnia quæ sunt iuris nouerim, nisi scientia experimẽtali cognoscã) literas Haloen, ut uocauit Haitonus rex Armeniæ, fuisse secretiores, quæ à paucis admodum sciuntur, ut & Ieroglyficæ olim apud Aegyptios. Communibus uerò

bus uerò literis nil ueteris disciplinæ uulgò extat, licet Thomar seu Onomatomãtiæ opus in manibus curiosorũ habeatur: crediderim facile ex Haloensi aut Bactriana lingua fuisse traductum. Prima enim rerũ ueritas ex nominum recta ratione, seu ex sacro etymo spendet. Verùm licet arte deprehendendi illam ueritatẽ, tradatur in alijs linguis, in una tamen Iodici seu ex Iod facti sacri characteris, & diuinitùs Adamo traditi delitescit. Alia schola Noachi seu Ogygis fuit, ad ilicem Ogyn, è regione Mamre, ubi sacræ sedis Semi regis pacis & iustitiæ ius instituit. Vnde regna Ogygia dependent à castro Salem, & à conualle Mamre, ubi primum fuit exceptus Abraham à Melchisedeco, decano suo: licet non fiat de illo mentio, nisi post uictoriam Abrahami, ad quem angelus Ogygij regni defecerat, ob insignẽ electionẽ, ita ut cum 300. uernaculis & auxilio Mamrensis principis, & Aneri & Escoli uicinorum, maximum cõfecerit bellum, cui sustinẽdo nõ erat par Melchisedec. Vnde genius Ogygius in fauorẽ Abrahami, imò fidei & Christi, transiens fecit, ut transiret ius sacerdotale in Abrahamitas, donec ueniret secundum ordinem Melchisedec necessariò incarnanda salus. Sic ex Gallica, Ethrusca, Armenica, & Pontificali seu Ogygia disciplina sola, in Occasu superest, quæ per Mosen ad nos peruenit. Tam potens uerò erat genij seu angeli

geli custodis circa Ogygiam regionem potentia, ob summam illam & nulli secundam Noachi pietatem, ut etiam Moses diuinæ legis assertor & uindex, quum accessisset conducendo populum Dei ad posteros eius Ogygios, octingentis ferè annis postea, id est, ad Og, seu Ogym regem Basan, licet sciret omnino à patre degenerasse, & iure ipso proscriptionem & exterminationem mereri, tanquam parentum uirtutis profanatorem, tamē plusquam à cæteris mortalibus timuerit: ita ut opus fuerit speciali responso ad confirmandum illum, quod Deus in eius manus esset illum traditurus. Sic ius Noachi, quod sub nomine Ogys seu Og à diluuio superstitis habebat, in primo terræ sanctæ loco in Mosem transijt: ita ut illud tanquam dignissimum, ultra Iordanem dederit tribus primogenitis facti, Rubeno uidelicet primogenito Leæ, Gaddo primogenito Zelfæ, & Manasseh primogenito facti, sed non iuris ipsius Iosefi. Nam Iaacob primogenituram iuris in Efraim natu minorē transtulerat, pro usu scripturæ. Sed aliarum etiam magis specialium, seu in sacris expressarum disciplinarum origines, tradere uisum est.

RVRSVS DE ILLA DISCIPLIna, quæ ex lege diuina in uniuersum opera Abrahami emanauit. Cap. 15.

Nullum est dubium, quin sicut nunc sese omnibus accommodat sapiens, ut ad scopum sibi propositum ueniat, unde & Christus & Paulus & reuera sacræ disciplinæ periti fiebant omnibus omnia, ut omnes lucrifacerẽt: Origenes autem ad profanarum disciplinarum ludum docturus descendebat, saltem ea quæ sunt Christi docturus cum ijs quæ sunt mundi: sic semper, & maximè inter patres aureo sæculo præditos, aut illi proximos, fuerit. Sicut enim homo encyclopædia formatus, facile quemuis sermonem in quemcunq; alium traducit, & quócunq; uult animos audientium rapit: sic, sed multo facilius, sacrosancta illa patrum lumina & oracula, quibus cum encyclopædia & inferiori humanarum disciplinarũ adminiculo summa uis gratiæ & spiritus aderat, poterant ubiuis diuertẽdo, & sese hominum ingenijs accommodando, transfundere aliquid diuinæ legis. Ea de re duo genera disciplinarum exteriorum ab Abrahamo disseminata, Aegyptiacum & Orientale, seu filiorum Orientis. Multi authorum humanitatis meminere Abrahami, nullus tamen non tribuit illi summam

Chaldai-

Chaldaicarum diſciplinarum, id eſt, diſciplinæ cœleſtis cognitionem. Patres uerò Moſis auditores, hoc in primis in eo laudant, ueluti proximam uiam ad uera & ſupercœleſtia cognoſcenda, quod in Tharſenſium regum Magorum facinore claruit. Externorum authorum teſtimonio, quo perhibēt Abrahamum docuiſſe Aegyptios, ſi quis refragetur, ab effectu ipſo uideri ex ſacris poteſt, digniſsimam eſſe diſciplinam quam Noas ipſe docuerit, nedum Abrahamus: quum conſtet, Ioſefum, Moſem & Solomonem illam ſacrorum ſtudijs adiunxiſſe. Nam ſacra traditio exprimit, eos excelluiſſe in ea ſcientia. Nullum itaq; dubium, quin quum illa elementarium figurarum aut motuum diſciplina, quæ auſpicijs, aruſpicijs, geomantia, hydromantia, aeromantia, pyromantia, & earum quibuſcunque appendicibus conſtat, docerentur à patribus, etiam unà ueritatem religionis infunderent, & craſſos homines craßis & eorum capacitati accommodatis rebus docendo, etiam per analogias & ſimilitudines in cauſæ primæ admirationem conducerent. Et hi ſunt peregrinationis Abrahamicæ in Aegypto ſcopus. Ideo ancilla Hagar in rei typum, ex Aegypto ſequuta eſt Saram, & genito Iſmaele accepit illi uxorem Aegyptiam, quia non uoluit perfectionem religionis ſequi cum Iſaac. Ideo eſt notatum à ſumma eru-

ditione uiris, maximè à Mose altero, quem Rabi Moseh ben Maimon, seu Arambã uocant, maximã partem doctrinæ Ismaeliticæ, seu Alcorani esse ex Aegyptiaca doctrina desumptã: cuius quum ipsa scriptura testetur fuisse peritũ Mosem & Solomonem, quorũ duorũ præcipua scripta in sacris sunt, quin etiam inde quæ bona sunt & digna quibus Aegyptios possessores spolies, tanti uiri desumpserint, dubium non est. Legis enim typus in auro est. Vnde necesse est, sicut in sacra nocte exituri de Aegypto Israelitæ, uasa aurea precariò ab Aegyptijs nunquam restituturi accepere, & ueritatis nudos illos reliquere: sic etiam Moses & Solomon studendo illis disciplinis, tacitè exposuerint in sacris Scripturis, quicquid olim ueritatis illos docuerat Abraham, factus etiam ibi, quàm quum intrasset in Aegyptum, ditior. Nam ut Christus scientia experimentali profecit ante Deum & homines: sic non est dubium, etiam cœlestia & supercœlestia docendo Aegyptios, quin & ipse Abraham hauserit multa ab illis, quibus sit factus ornatior. Docendo enim discunt etiam perfectißimi. Verùm præter libellum de creatione, formatione ue, ex innumeris Abrahami libris nil extat, nisi in Mose, in quo patrum sunt sententiæ. Licet uerò omnia sint, in hac fęce elementorum, in qua uersatur disciplina Aegyptiaca, longè Aristotele syllogistico et Platone epagogico

gogico sublimius, oppleta accidentibus: tamen magna ueritatis lux per uirtutem latentis substantiæ & spirituũ etiam ad minimã usq; herbulam promouendam singulis rebus addictorum, possunt maximæ uirtutes colligi & spargi, & tandem in Dei obsequium & humani generis auxiliũ traduci. Ea de re nõ minus & Moses & Solomon, & quicunque ea parte sapientiæ summè pollebat, poterat & diuina & spirituali & cœlesti sapientia coniuncta humanæ diligentiæ & rerum corruptibilium naturis, malis spiritibus imperare, quàm bonos in obsequium trahere. Hinc Eleazari facinus apud Iosefum de potestate in dæmones, uirtute herbarũ extrahi à corporibus solitos, ut præsente Vespasiano fecerit sapientiæ Solomonis periculum. Ideo singularũ creaturarũ discußisse uires ad hysopum usq;, tradit Scriptura. Hinc ratio rerum uetitarum in lege, licet etiam ob timorem Dei aßiduè repræsentandum, & ut à ritu gentilium superstitiose rebus abutentium abstinerent fideles, sunt multa uetita.

Nullum est dubium, quin sicut uariam substantiã corpoream acquirimus uarietate ciborũ, ita etiam spirituum rebus ipsis impactorum fiamus inter res ipsas deuorandas participes. Hinc multarũ rerum præsentia fugari spiritus, etiam naturales authores tradunt: de qua re ad Dioscoridẽ appello. Hoc uerò fecit Deus per salutis uniuersi mediatorem Ie

 sum;

ſum, ut in omnibus deliteſcēs inueniatur, & inuentus glorificetur. Hoc genus, ut iam dixi, eſt lōgè doctrina rationali in Platone & Ariſtotele ex præceptis Indorum, Chaldæorum, Aegyptiorum, profetarumq; ſenſim multisq; annis collecta, et apud eos in ſummā reducta, ſublimius: & tamen ſapientia filiorum Orientis eſt tanto iſta maior, quantum cœlum à terra diſtat. Vide ergo, quid in ſpirituali angelicáue, & demum quid in generali omniū intellectu uniuerſi mediatore ſit abditum. Verùm inter Aegyptios nunc funditùs, imò in uniuerſo perijt illa ſtichcomātia: præter quædam ueſtigia, quæ tam in carminatoribus quàm inter ſtrigas et falſodiuinos deliteſcere adhuc uidentur.

Nomine ad hanc uſq; diem ſeruato, ſuæ originis teſtantur fontē Abrahmanes, apud quos diſciplinæ filiorum Orientis deliteſcūt. Quum enim uidiſſet Abraham ſuos filios tam in familia Iſmaelis, quàm illos qui ex Hagar eius matre ad Iudaiſmum cōuerſa, & Ketura ueluti Deo ſacrificata & ſuffitu oblata nouo uocabulo nuncupata, nati erant, fratres quidem Iſmaelis, ſed ex utroq; parēte fideli natos, nolle Iſaaco fratri ad propaginem Meßiæ electo ſubijci, tunc pacis domeſticæ gratia Iſmaelem uerſus Aegyptum & Arabias habitare, & commercia connubiaq; exercere permiſit, ut potißimum diſciplinis Aegyptiacis imbueretur, timore diuino

priuſ

prius imbutus. Alios autem libris rerũ cœlestiũ donatos in totum Orientem misit. et hoc est, quod ait Scriptura: Isaaco quidẽ dedit totũ, seu omne, aut totale, filijs uerò cõcubinarum dedit munera. Vbi patres sic intelligunt (nam nec de bobus, nec de rebus boue inferioribus in principali sensu et Deo digno cura ipsi Deo in sacra Scriptura est) Abrahamum dedisse soli Isaaco totum, seu col, id est, generalis intellectus seu spiritus Christi sibi promißi cognitionem: filijs autem concubinarum dedisse munera, id est, spirituum cœlestium & terrestrium, qui immundi ante illum sunt & dicuntur, cognitionem, & rituales libros. Nam si materialiter intelligeretur dedisse omnia filio, quomodo posset dare munera bastardis? Vocat autẽ spurios, eo quòd, quamuis essent utroque parente fideli nati, tamen instar mulorum steriles olim in Republica mundi futuri essent, quibus ipsis Ismael est longè melior, eo quòd cessantibus nobis profligare idololatriam à mundo, suppleuit nostro nomine factus 10. tribuum Israel dux semiuerax in Muhamede & Alcorano. Multiplices porro fuere tales concubinarum filij. Nam Græci ob rerum nuditatem, & uoluntariam paupertatem Gymnosofistas uocarunt: alij, ut hodie sacerdotes in Guzrati Narsingæ & præcipuis Indiæ regnis, uocant Abrahmanes, seu Brahmanas, aut Brahminos, ab ipso Abrahamo, authore illius

 disci-

disciplinæ, quæ suæ ueritatis ostendit specimen non solum in profetijs Balaami, sed maximè in Magis, qui duce stella, & cœli simplici, qualem Abraham docuerat, scientia, uenere ante ipsos Iudæos ad adorandum Christum: ut filius qui dixerat se nolle facere patris uoluntatem, illam compleret, & ius primogenituræ consequeretur. Hudi, seu Hundi, aut Indi alio nomine dicti, sunt quasi directores & Iudæi, laudatores'ue. Vnde doctrina Alcorani quæ partim ex eorum doctrina, sicut ex Aegyptiaca & sacra, est conflata, dicitur Huda: id est, directio, seu Iudaitas. Iudæos enim crebrò, remota Iod litera, uocat Hud. Inde uenit, ut Cabalistæ mysteriorum eius auditores, factis in quadam area cœli formis, & maiuscula forma distentis characteribus, certissimè de rebus futuris prænuncient: rarum hominũ genus, & quod totam complectatur encyclopædiam. Hundia itaq;, seu India, est tanquã Iudæa orientalis. Hinc Iosefus cõtra Appionem notat Græcos illorum auditores, illos Iudæos orientales uocasse. Adiungit uerò aliud nomen Chalanni, cuius etymi ratio nondum est obseruata. Patres enim antiqui uocarunt Astronomicam disciplinam Chalon, quasi fenestram, per quam diuina poßis intueri. Sic enim aiunt Abimelecũ regem Geraris uidisse Isaacum ludentem cum uxore sua (cum tamen illam apud se nõ haberet) per fenestram, id est, per

astrono-

ſtronomiam. Sic enim illi Deus reuelauit. Ideo Solomon dicit, quòd dilectus reſpicit per Chalon, ſeu feneſtram: & per cancellos, id eſt per cœlum clarum, & retiata accidentibus uarijs elementa. Chalamni itaq; apud Indos, ait ex Ariſtotelis ſententia in mediũ ex Clearcho eius diſcipulo adducta, ſunt dicti in India, qui Iudæi dicuntur in Syria. Chaldin uerò, ſeu Chaldæi dicuntur, uocabulo & in bonam & in malam partẽ uſurpato. Significat enim uox, temporis & planetarum obſeruatores: quod & utiliſsimè et ſuperſtitioſe fieri, notat Scriptura.

Iſta fex hominũ hodie in India supereſt, & in noſtri orbis gaſtrologis, ineptiſsimo hominum genere, & inſcientiſsimo. Meliori nota fuere Magi ſapientes, præcipuè diſtillationum cœleſtium obſeruatores. Hæc enim pars ut eſt ubiuis licita & laudabilis, ita eſt utilitatis plena, ut caritati annonæ in tempore occurras, & ſatis terraq; naſci ſolitis proſpicias. Sic ditatus eſt uno anno filoſofus apud Ariſtotelem, præuiſa olearum ſterilitate: ut oſtenderet facile eſſe filoſofo, ſi animum ad iſta caduca adhiberet, colligere opes: nec niſi uolentem, penuriam pati. Tharſenſi patria in Serarum finibus ſita, ſunt magis inſignes huius gentis reliquiæ, ubi etiamnum ſuperſunt multæ admodum tribus, & cognationes eorũ trium regum qui nomine patriæ uenere ad adorandum Chriſtum: illiq; fideliſsimè

lißimè ſeruant fidem. Cæteri dicuntur odioſo uocabulo, & in uniuerſos Chriſtianos à Turchis, qui olim ex eorum finibus ad Alcoraniſmũ uenere, contorqueri ſolito, Iagour, ſeu Iogour, aut Giagour, & à Luſitanis Iogris, eo quòd in toto ferè orbe Orientali & Indico præſtigiatores & incantatores non minus inſignes, quàm periculoſi, ex ea gente ſparſi uidẽtur. Sic ubi ſunt optima, ſunt et peßima. Ad hanc diem Brahmanes ab omni uiuente abſtinẽtes, et Pythagoreorũ formatores ſacrificos retinẽt, populos Indiæ, in diauoloſebia, nedum in idololatria, licet bulatria & cercopythecolatria ſit ualde frequens, maximè in Guzrat & Narſinga, regnis maximis. Apud illos latent infiniti hiſtoriarũ & librorum antediluuianorũ theſauri, quos nos expectare unà cum Enochianis opus eſt, antequã claritatẽ abſolutã rerum Moſaicarũ cernamus. Quum in hoc Brahmanum ordine, ſub nomine Chaldæo, aliquando eſſet Abrahamus, eo quòd liberè & publicè de ſummo Deo non agunt, nec ultra cœlũ mentem attollunt, quod ſacroſanctè in Alcorano notauit Muhamedes, noluit amplius dißimulatoribus cõformari: & ſicut timore ſe ueri Dei cognitionem profitentur filoſofi Græci noluiſſe propalare, à Brahmanibus formati: ſic tam longè fugit ab ea hypocriſi, quanto grauius idololatriæ peccatum eſſe nouerat apud eos qui uniuerſalem intellectum noſſent,

sent, & per illum in summi boni cognitionem uenirent. Nam non fateri, quē nosti Deum, negare est.

DE ORTV SIBYLLINAE DOctrinæ. Cap. 16.

VT esset omnino apud spiritum Dei inexcusabilis mundus, etiam doctrinam reuelatā habuere Chaldæi in sua prima monarchia: & continuè instar sacræ doctrinæ per decē Sibyllas est instaurata, donec in summa authoritate apud Romanos haberetur, eiusq; finis clarißimè & uisibiliter summo Imperatori ostenderetur, Augusto uidelicet, à Sibylla Tyburtina, ut sacrarum & Sibyllinarum doctrinarum Rex, id est Christus Iesus tunc temporis ab uniuerso adorandus in carne, quum Romani mortalibus tyrannis decernere illos diuinos honores satagerēt, innotesceret. Vt autem esset in primis cōmendabilis ea doctrina, ortum habuit à fœmina principe totius Orientis, proxima sanguine ipsi Noacho: ut regis ad exemplum & nutum concuti solitus orbis, diligentius inspiceret diuina oracula, quæ à tam insigni fœmina præter morem illius generis effunderentur. Periјt ea doctrina, succensa à Stilicone Vandalo, eo quòd palàm ipse uti Antichristorum parens, in ea notabatur. Fecerat enim officium suum ea doctrina, ubi ostenderat quatuor monarchijs medij orbis Chri-

ſtum, ſicut & Oriētalis, poſtquam illa duce Magi ad eius conſpectum ſunt conducti. Nil enim mirum eſt, Brahmanum ſynceritatē periiſſe, nemine quod ſciatur iam totis bis mille annis illam inſtaurante: & funditùs obrutas eſſe Sibyllas, quum aßiduè ſupra tria annorum millia inſtaurata doctrina Moſis, uix tamen de umbra aut nobis aut Iudæis innoteſcat. De uero autem cultu multo minus eſt mirandum, quum hic nullus ſit. Porrò ſpecie docendi de Chriſto erat longè manifeſtior profetis, eo quod illi genti potißimum data erat, quæ ratione humana duce ſapientia quæreret, & maximam utilitatē de ea caperet. Troia enim, ſi uolebat, incolumis permanere poterat, præmonita à Sibyllis. Similiter totus Oriēs. Romanis fuit in ſummo reip. diſcrimine ſummum refugium. Quid præſtiterit Orienti, licet non uidetur in hiſtoriis, tamen ex illis fragmentis quæ nunc ab Oporini officina Baſileæ prodiere, uidētur toti mūdo prædixiſſe ſuas clades: quod ſine magna aduertentium utilitate, ut præcauerēt, factum eſſe nequit. Statim enim ubi rituales libros furatus à Noacho Nemrodus conuertit in idololatriam, ut illi uiuo diuini haberentur honores, tanquam qui iam eſſet Saturnus, ſeu Satornus, id eſt, qui ex religioſi corporis reliquiis inſtar Adami in arca depoſitis religioſum poſteritati locū feciſſet, Deus ordinauit ut eius uxor dicta Sabbathe, ſiue

Sembethe

Sembethe, repararet quod maritus perdebat. Hæc uerò prima Sibylla erat nurus, ut scribit, ipsius patris, qui ab aquis est ereptus. Sic per fœmineã illam operam totus Oriens recepit sacra, donec sensim sanctitate & enthusiasmis pleræq; Græci sermonis peritæ fœminæ eadem tradiderunt Græcis, & demum Latinis: ita ut principiò publicati nominis Romæ, id est sub Regibus, delata sint magna uolumina, quæ tantæ fuisse ueritatis comperta sunt, ut illis incõsultis nil publicæ functionis susciperetur. quidam decem numero, alij duodecim fuisse, alij alio numero dicunt. Certissimum est fuisse innumeras in uniuerso, sed scripta 10 fuere cõmuniora. Quis enim non admiretur illas Alirunnas Francorum, Gothorum & totius Septẽtrionis, quæ tanta erant non solum prædicendi, sed euocãdi potentiá, ut nõ solum clarè de futuris prædicerent, sed spirituales substantias cuiuscunq; generis ita cogerẽt (ut licet in Iornande Gotho, & Hunibaldo Francorum historico uidere) ut in quancunq; formam sese repræsentare omnium oculis adigerent. Eiusdem generis fuere uates & sacræ uirgines ubiuis gentium, tam in uera religione optimè primũ ab uxore Noachi & filiabus nuribusq; & posteris instituta ad diuinæ sapientiæ laudem, quàm in ijsdem religionibus sensim deprauatis, & à diabolo corruptis. Certissimũ enim est, ab illis uatibus fuisse excitata ora-

cula,

cula, quæ ſenſim in corruptionem (ut optima origine religiones ordinesq; apud nos uidemus intra 200 annos ſæpe feciſſe) degenerarunt, donec ſalute uniuerſi crucifixa, eius uirtus in uniuerſo abegit dæmones: & potiſsimum Romæ, *ubi maximè ſemper eſt oppugnatus* Ieſus, *maximas inſtaurationes fecit.* Primam *poſt diluuiũ à* Iano & Veſta, *demũ per* Razi *inuos, ſeu ſacros myſticos'ue propagatores, quos nunc patres ſpirituales uocamus: tandem per* Sibyllas. *ante quas quum omnium mortalium fuiſſet ſapientiſsimus* Samothes Gallus, *non eſt dubium quin etiam origini ſui regni religione per poſteros* Magum, Saronem, Bardũ & Dryum *ſuccurrerit: ſicut uidemus ordinem diui* Benedicti, Dominici, *& ſimiliũ ex* Gallia *in* Europã, *& maximè in* Italiam *tranſijſſe, & contrà* Franciſcum *et ſimiles ex* Italia *mouiſſe.* Vehementior *inſtauratio imperij* Chriſti Romæ *fuit, quando in* Petro *apoſtolorum* Choryfæo *uenit* Romam *iterũ crucifigi, & martyrũ ſanguine tingere ſepulturã* Noachi *in* Ianiculo *monte & finibus eius: ut tantis myſterijs, antequam mihi aperirentur, mundo incognitis, ſignificaret ſe curam aßiduã rerum humanarũ habere in ijs quæ maximè hominũ libidine ferri uidentur.* Sicut *enim ſacræ ſcripturæ myſteriũ locale in hoc fundatũ eſt, quòd* Abrahã *empta ſpelunca duplici, in qua erat neglecta iam & obſoleta* Adami

primi

primi Saturni mundi ſepultura, uoluit & ſe & fi lium & nepotem cum coniuge, nuru, & nepotis uxore prima, Lea uidelicet, ſepeliri, ut eſſet locus uniuerſo ad hanc diem ſacer: ſic etiam Petrũ Nero, neſciens quid faceret, iußit crucifigi in eo loco, ubi iam 350 à diluuio annis dormierat, & ferè in obliuionẽ uenerat Ianus, plus minus bis mille annis. Licet autem eſſent in uniuerſo uates, qui reſpõſa darent: tamen uix reperias, ubi maiore cogendarum potentiarum ſeparatarũ uirtute in reip. bonum fuerint, quàm in Ethruria. Cæterum quum immortalitatem animorũ docerent Druidæ, licet cruenta humani ſanguinis myſteria introduxiſſet Satan, tamẽ quin homines in ſuum finem præſtantißimè, ut pro ea ætate, cõducerent per religiones, dubiũ non eſt. Quàm admirãda eſſent potentia eius temporis monachæ, nedum Sibyllæ, poteſt apud Coſmografos uideri, dum agunt de illis quæ in finibus Venetorũ occiduorũ, ſeu Armoricæ Britanniæ erant, in inſulis. Negari certè nullo modo poteſt, quin illa tam pia familia Gallorũ (nam ſic auito nomine diluuio ſuperſtites uocarũt Babylonici, eo quòd & fluctibus erepti anteactorum ſeculorũ myſteria reuelarent, mundumq; reformarent) uniuerſum genus humanum optima inſtitutione maximè in religione mundum formaſſent, ita ut niſi Chami ſeu Chameſenui maledicti progenies corrupiſſet mundũ, ſalus mundi ſapien-

di sapientiáue patris æterni uenisset solum ad peregrinandum inter homines, & non ad reprobādum. Sed sic decuit, ut qui optimus parensq; omnium est nomine, omnium uitam quàm aßiduè nobis incogitantibus infundit, sensibiliter in cruce funderet, ut nos sibi reiungeret. Cœlestis magorum doctrinæ officium summum fuit, cœlesti lege donatis manifestare incarnatæ salutis tempus, ab oriente in Syriam. Sibyllinæ uerò doctrinæ, quæ est apex Aegyptiacæ disciplinæ, potißimum Chami posteris collatæ, apex fuit, ut à Babylonica turri, seu à Syriæ principio Romam usq; delata ostenderet, & per Acrostichidem regis adorandi, in qua scriptū erat IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR, & per uiuam Sibyllæ Tyburtinæ uocem tam Senatum & auitum corpus reip. quàm principem tyrannumúe primaria nota uirū certificaret de regis adorandi nomine & aduentu. Quòd autem sit uera illa apparitio, quam fuisse in loco qui nunc ea de re Ara cœli dicitur, ipsi Augusto ostensam circa natiuitatem Christi, quidam parum probant: arguit rerum natura parens, idest, ipse ille Iesus uniuersi spiritus, intellectus, mens & arbiter, in saxis clamantibus, eo quòd homines tacent. Est enim saxum Venetijs, ut ipse sum oculatus testis, durißima cōsistentia, in cuius medio dum expoliretur, nō secus illa effigies representatur, nu-

merisq;

merisq; omnibus delineatur, quàm exactè Romæ, ubi res contigit, uidetur pictorũ artificio facta. Sic Deus per sensum & rationẽ uult infidelitatẽ mundi extirpare. Possumus autem sine ullo errore, nomine doctrinæ Noachi, Sibyllinam nuncupare.

DE MOSIS DOCTRINAE APPENdicibus. Cap. 17.

IVre certè merito quicquid est in mundo doctrinarum, quũ sit una Mosaica lege inferius, quin inde dimanarit, non est dubium. Nam & maiestate & tempore primùm generat, quicquid dignitate & ætate est posterius. Sed uerum licet & Plato & Aristoteles non obscurè fateãtur, se ab ipsius legis immutabilis alũnis unà cum tota Græcia habuisse doctrinas suas, ita ut necesse sit omnia inde recognoscere, postquam uiri doctrinæ primariæ in summo genere hoc fatẽtur (nam Chalami, Syri, Indi, Chaldæi, Magi, Gymnosofistæ, Aegyptij, et Profetæ eadem sunt origine) tamen multa esse cæteris propiora opus est: præterquam quod etiam ex Scriptura patet, quòd secula profecerunt à patribus ad Mosem, ita ut quatuor gradibus sublimior sit factus quàm Abraham Isaac & Iaacob, (illis enim in Elsadai, qui est secũdus diuinorum nominum & uirtutum gradus, ut in Exodo cap. 6. & in Ilan seu diuinorum nominũ arbore uidetur, Deus apparuit, at Mosi

at Mosi ipsi in Iehouah nomine magno, cœlesti materiæ in clementis respondenti) Deus iußit eum eligere 72. uiros senes, quibus de eodem spiritu infunderet, & emanare ex Mose faceret, ad hoc ut iam in quinto ex decem gradibus cognitionis diuinæ constituti sensim & ipsi, interpretando dicta Moseos uenirent ad decimum usque gradum, qui decimo cœlo seu primo mobili respondet: sicut Mosis contemplatio soli æquatur in quarto loco orbium, super unitatem elementaris materiæ corruptibilis positi. Sensim enim per interpretationem in abscondito ad gloriam Dei uerbo sacro, opus est reges, hoc est sui potentes proficere, donec ad lucis ueniant complementũ per spiritum sanctum, qui nos docebit & suggeret nobis omnia quæcunq; dixerit nobis ueritas. Duce illo spiritu, ipsi 72 senes cæteros libros sacræ Scripturæ, qui post Mosem fuere scripti, aut ab alijs scriptos approbarũt, ueluti Iobi, Iosue, Mardochæi in Ester, & profetarum, aut ipsi per se in eodem spiritu scripserunt, ut sunt libri Iudicum, Regum, Paralipomenon, Ruth, & si quid in sacris nomine authorũ caret. Sed quum ordinis gratia illis solis esset permissum sacra interpretari, & mysticum sensum seruare inter se tanquã sanctiora senatus sacramenta, ita ut eorum responsa essent loco oraculi: adhæc soliti essent sacras historias à se scriptas componere

tum

tum Mosaicis libris, & in æquali authoritate cōsti tuere, cœpere sensim populares refragari, et solum quinque Mosis libros amplecti. Sic sensim in hanc hæresim transiere 10. tribus, quæ nomine Israelis sunt dictæ, ad differentiam Iudæ & Biniamin, quæ in iure regio ipsius aduentus Meßiæ primi uideli cet et secūdi erant. Primum itaq; relicto magistratu iudiciario, sub quo ueluti sub optimo illos instituerat Moses, uoluere instar gentiliū regem petere, quibus sortito primò obtigit ex Biniamin (nam in sacris contra usum mundi sunt nouißimi primi, ita ut sit necessariū Maternam naturā ultimā, primò formatum filium ostendere, quem prior pater procreauit) rex Saul, quo reprobato ex Iuda uenit Dauid: cui ualde restiterūt fauentes hæredibus Sau lis, donec tandem uix transacto in pace regno Dauidis & Solomonis, palàm renunciarūt Meßiæ & filio Isai, et Ieroboamo seruo Salomonis, freto Aegyptiacis copijs: subscripsereq; mordicus adhæren tes quinq; libris Mosis in 10. uoluminibus ab ipso lingua Samaritana, aut Gallica, ut melius dicam, conscriptis. Quum enim toto in orbe nullum nomē prius Gallico, ex quo Vmbri, legatur, uoco Samaritanam linguam Gallicā. Nam Moses antequā in monte raperetur, 12. uoluminibus legem Dei pro 12. tribubus exposuerat, ita ut duodecies quinq; libri, siue 60. uolumina scripta essent, quibus additū

est uolumẽ mysticum Leuitarũ, in 13. loco positũ. Sic dum pro agnitione remedij peccati patres multos libros pro sanctis ponunt, maxima pars populi perdit ipsum uerum cultum, & sensim adorans uitulos aureos cum Deo uero meretur gens Sichemita, Samaritanaq́; (nam illæ duæ regiæ primæ 10. tribuũ relicta Ierusalem fuere) à terra sancta expelli, & à sacrorum usu spoliari, inq́; fines Orientis ultra Mediam & Bactros traduci, donec post captiuitatem Babylonicam 10. annis, tribus Iuda & Biniamin reductæ à Babylone, regnassent sine illis in terra sancta, 400. annis, aut circa, ante Christum, sexcentis post Christum, quum sub Ismaelitarum profeta uenere 10 tribus Samaritanæ, quibus Muhamedes fuit Meßias decennio in Arabia: illis uidelicet, qui proscripti à Syria erant, nec in Oriẽtem fuerant abducti: donec uenirent Turchi, id est derelicti, & Tatari, eorúm ue reliquiæ, ad Ismaeliticam doctrinam, ut amplius alibi dicetur. Prima itaq; secta ex Mosis studio orta est Samaritanorũ, quos ideo noluit Deus impeti, aut bello confici à Ierosolymitanis: sed quum defecissent, dixit se illud ipsum fecisse quod fecerant, ut olim ostenderet suæ prouidentiæ uirtutem in illis sub Ismaele primogenito Abrahami cõgregandis, & sensim per Alcorani semiueras profetias (ex parte enim Abrahami patris, & uolũtatis Sarræ ancillã offerentis, est maximus

ximus profeta Iſmael in Muhamade, ſicut eſt falſus in matre Hagar Aegyptia) reduceret ad puriorem Chriſti cognitionē in operibus charitatis poſitam, quàm ſit inter Chriſtianos & communes Iudæos.

Sic Chriſtus ueluti omnia negligendo, omnia diligentiſsimè procurat, ut uideantur ordinatiſsima, quæ mundus inordinatiſsima putat.

Tantæ molis erat Chriſti diſponere regnum.

Indirectè enim Samaritanis cōparatum Alcorani opus, eſt legis Moſaicæ appendix præſtantiſsima, in qua qui noluerant ſacros Cabaliſtarum commentarios recipere, illos ipſos innumeris abſurditatibus literalibus auctos reciperent, & affirmarēt mordicus ad literam, & nihilominus maiora de Chriſto cognoſcerent quàm totum genus Iudaicū. Hoc uerò in ueritatibus de Chriſto affirmatis uidetur, ubi clarius longè quàm Targum, Miſnaioth, aut Thalmud, totaq; Iudaica traditione, præter Zoharē, omnes catholicæ ueritates affirmātur, ſalua Trinitate, Chriſti diuinitate & morte. Sed appendices continui fuere corpus ſuccedētis Scripturæ, ad Ezram uſq;. Tunc ſeptuaginta duobus libris collegit doctrinā ſeptuaginta duorum ſenum, cuius generis eſt quartus Ezræ liber. Hos habebat Mirādulæ Comes. Poſtquam enim in Daniele conſecratum eſt eloquium Chaldaicum, tunc duplex doctrina cœpit eſſe, Chaldaica & Hebraica. Sed ubi pu-

 blicum

blicum fecit characterẽ ſanctum, Geometricumq́;, ut excõmunicaret characterem Samaritanum Ezras, tunc ſuccedens in eius locum Chaldaicum, cœpit ſacras interpretationes complecti. Sic conſeruata de ſcripto Cabala inter ſuos fuit, uſq; ad Symeonem Iuſtum, qui poteſtatem fecit de ea diſceptãdi: unde, eo quòd eſſet Chriſtianus & ſecretorũ propalator, eſt excõmunicatus. Zohar itaq; habet quatuor editiones. primam ex ore Moſis, ſine ſcripto, per doctrinæ ſucceſsionẽ, uſq; ad captiuitatẽ. poſtea recollegit Ezras, ſed tamen ut eſſet inter ſuos tantum. Fecit cæteris ordinibus eam attingendi poteſtatẽ Symeon Iuſtus: & ſic eſt facta tertia editio. Demum Rabi Symeon ben Iohai inſtar commentariorum in ingens uolumen Gloſſæ ordinariæ reduxit, 80 aut 100 poſt Chriſtum annis. Ex hac doctrina, tanquam quæ à ſpiritu ſancto & ſpiritualibus authoribus pendet, eductum eſt Euangelium. nam Euangelium, quod ab ipſo Chriſto baſim habet, nil aliud eſt quàm ueræ interpretationis Scripturæ uſitatæ confirmatio. Verùm enimuero conſonare neceſſe eſt. Nec poſſumus aliter eſſe certi, ſi Euangelica Scripturæ interpretatio ſit legitima, et patrum optimorum ſententiæ conformis (ut neceſſe eſt, ueluti quæ ab eodem ſpiritu ſancto proficiſcitur) niſi in Zohare Raboth & Midras eorumq́; appendicibus, ubi eſt ſummè ſpiritualis ſenſus:

ſus: & in Thargumo, ubi ſummè literalis uideretur eadem interpretādi ratio. Moralis ſenſus eſt in Midraſsim, & eorū appendicibus. Cæremoniarius, & qui de ritibus uarijs tractat, in Miſnaioth, ſeu Deuteroſi eſt. Hoc opus eſt ſcriptum à Rabi Iuda, quem per excellentiā uocant Rau, temporibus Antonini Pij. Sic ſunt Zoar, Thargū, Midras, Miſnaioth, Thalmud utrunq;, & Euangelium, appendices legis Moſaicæ. Sed ſicut eſt ſumma deprauatio ueritatis in Thalmudo Babylonico, ita ſumma ueritas eſt in Euangelio. Zoharis opus in Geneſim anno proximo uerti, in quo planè lucem æternæ diſpoſitionis recepi & expoſui, præeunteq; & duce ipſo ſpiritu generali reſtitutæ maternitatis pro Eua noua arbitro prior intellexi. Præterquā quòd enim eſt Geneſeos radix arboris totius ſapiētiæ mūdi ſeu ſupracœleſtis, ſeu cœleſtis, ſeu inferioris, ita ut ſit inſtar cœli, et reliqua quatuor inſtar quatuor elementorum: doctrina illius interpretatoria tam ſublimis eſt, ut quicquid eſt in mundo doctrinarum ſacrarum & prophanarum, ſit in umbra futurum, ſi componatur cum ea luce. Sed quum ex authoritate Euangelij non minus ui rationis, quàm eccleſiæ iudicio diſcuſsi, conſtet Zoaris lumen: & contrà, quum Euangelium pro Euangelio & ſumma interpretatione legis Moſaicæ haberi penes Iudaicam obſtinationem neceſſariò conuertendam non

poßit, niſi quatenus uerum à patribus ſpiritu ſancto plenis traditum concordat cum eo: neceſſe eſt ut origines Chriſti & Euãgelij tradamus tali fide, ut merito de Euangelio & Chriſto poßit comparatio peti. Iam enim per Thargumi ſeu uèrſionis Chaldææ ad literam collationem poteſt uideri. Satis porrò erit, ex Miſnaioth & duobus Thalmudis earum traditionũ interpretibus eruere, quæ ad arguendũ & refellendũ conuincendumq; faciant.

DE ISMAELITARVM DOCTRIna, ſiue de ultima appẽdice legis Moſaicæ, & de gentibus illi ſubſcribentibus. Cap. 18.

NOn ſecus erat neceſſe primogeniti Abrahami benedictiones, quæ multæ ſunt, quàm ſecundogeniti cõpleri. Sunt uerò multæ tam Hagaræ matri, quæ Abrahamo patri datæ, quibus Reubenica Iſacharis & Zebulonis accedunt. Similiter omnium primogenitorum, ſuo loco motorum. Ideo tantus fuit rerum ſplendor, idololatriæq; profligatio à conatu Muhamedis Iſmaelitæ, ut ab orbe condito nullũ imperiũ magis aut latius gloriã Dei, licet imperfectè, promouerit, quàm Iſmaeliticũ. Cõpletæ itaq; ſunt in hac ultima doctrina benedictiones, ſuppletũ eſt officium Chriſtianiſmi & Iudaiſmi omnino degenerantis, & à deturbando falſo cultu ceſ-

tu cessantis. Qui honor debebatur legi Mosis extra terram sanctam, dum gestatur ex toto orbe Alcoranum ad Mecham, cōpletur. Quæ conditio legis regni fuerat proposita Israelitis, illam opus erat compleri seruata ad literā lege regia, per quam omnia ad liberos et personas usq; sunt in regio iure diuinitùs posita. Sed nationes præcipuæ quæ hodie subsint Alcorano, sunt, Medi, Persæ, Turchæ'ue et Tatari. Turchorum uocabulum derelictos sonat, quia primùm uenere ex ea regione, in quam translati erant Israelitæ ad suscipiendam legem. Et quia non omnes unà uenere, sed reliquerūt ultra montes Imaos Caspiosq; maiorem suorum partem, quæ Tatar, idest residuum dicta est: ideo ante 300 annos diuinitus, sicut & Mosi, aperto mari septētrionali, duce Changio Chan, sunt ad castigationem orbis, & Alcorani (ubi defuit Euangelium) susceptionem educti. Lingua autem, eadē esse origine notat. Linguæ enim cum Tataris, seu Tartaris, ut corruptè uocamus, & Turchis ea est similitudo, quæ est Anglicæ & Saxonicæ. Dominus quidē non defuit, ut uocaret primū illos ad Christianismum, transmissa in Tarsenses usq; Euangelij luce, ut longè facilius semoti ab obstinatione Iudaica reciperent illum, quàm qui ipsum crucifixere: aut si nollent Euangelicæ ueritati acquiescere, Ismaeliticæ doctrinæ saltem subscriberent, & sensim eas doctrinas reciperent

rent de Christo, quibus maximè contraueniunt ng ti Iudæi:ueluti quod sit cõceptus de spiritu sancto, ex uirgine natus, miracula puer et non adultus tan tum ediderit, sit Deo super omnes homines charus, in dextra Dei sedens, & inde sit uenturus iudi care uiuos & mortuos iudicio iusto. Opus uerò erat, ut insciæ suæ originis gentes in ea regna redi rent, expulsisq; Iudæis ueris & falsis, id est Christianis & recutitis, seruarẽt Ierusalẽ, ne ab idolola tris amplius occuparetur, sicut sub Chosroe contigerat. Multo uerò est maior Iudæi & Christiani offensa in terra sancta, dum populus Dei se Deo præfert, et sacramẽtis cõtrauenit. Mille annis posse deramus terram sanctã sub nomine Iudæ. Mille annos opus erat, ut fratres nostri quamuis nothi & à legitima matre alieni illuc dispersi, illã ipsam possiderent. Ideo licet diligentia regis Armeniæ Tatari sint facti Christiani, paulo post expeditionẽ Gallicam in terram sanctam, statim resiliere ad Muhamedem, donec complerentur mille anni, qui à natiui tate eius sunt completi anno 1543. uixit enim annos 63. quos si addideris 942, qui ab expeditione quam Albigeram dicunt, profluxere, hoc anno 1548, surgent 1005 anni: quibus quum adimes 5, inuenies planè fuisse Abrahami filiũ, hoc est, hac in re profetã, Muhamedem, qui secretò suis prædixit, post 1000 annos ruiturũ eius dogma sensim, uidelicet per hu-

ius oc-

ſus occaſionis principium, quum publicè expoſitū inter Chriſtianos fuerit, & de eo liberè diſceptabitur. Eodem enim anno contigit, Deo diuinitus res humanas mouente, ut & ego ex Arabicis refutarim, & ſuo ipſius gladio confoderim: & ut Oporinus publicè expoſuerit. Licet enim eſt magis recognoſcendus in Muhamede ex Iſmaele deſcendente Abrahamus, et Sarra quæ ordinauit eius generationem, quam ipſa Hagar Aegyptia ſerua: tamen erat prius pro communi noſtræ eccleſiæ ſenſu agitādus ut totus hoſtilis, quàm in eo recognoſceremus innumeras ueritates & ſemen Abrahæ, & eadē lege æquitatis uteremur cū eo ueluti Moſis alūno (nam niſi poſito Moſe, nō ſtat Iſmael: et poſito Moſe, ſtare non minus in ſuo gradu Iſmael debet quàm Iſaac. In figuris enim regnorū futurorū omnia indiuiduorum exempla ſcripta ſunt) qua uolumus nobiſcum agi. Si uolumus, ut neceſſe eſt, noſtram interpretationem admitti, & illorum ſenſa recipiamus oportet, non ex uerbis legis, ſed ex mente legislatoris. Quod autem tam citò profecit Alcoranum, ut legem ſemiueram & à communi ſenſu in multis remotam, intra centum annos toti fermè Aſiæ et Africæ Hiſpaniæq; obtruſerit ſub enſis uiolentia: nobis facit fidem regni in reſtitutione omniū futuri, quod in uniuerſum ſumma facilitate, duce ratione omnium animis inſita, dilatabitur, uniuerſaq́; mundi

dißidia eliminabit, reddita omnium animis æterna lege: cuius præscriptum publicè quum in alijs multis, tum maximè in opere de Ethruriæ *originibus exposui. Sed ubi origines sacrarum doctrinarũ & characterum qui illas doctrinas asseruant tradidimus, ut inde memoriæ cõseruatio poßit peti: superest ut omnium regnorum origines tractemus, & tandem in regni* Christi *confirmatione fidem faciamus, exturbatis omnibus quæ illi opponuntur potentijs temporalibus & spiritualibus.* Iam *uerò nostrum* Euangeliõ Iaacobi, *quod nostrũ dico, id est à nobis primo in* Latino *orbe expositum, opera et studio* Theodori Bibliandri *prodijt, licet (quod dolet permaximè) sine nostris* Adnotationibus, *in quo uno opusculo tanta lux est originibus* Euangelicæ *historiæ allata, ut reuera* Marci Euangelium, *cui præfixum est, poßit completum haberi ab altioribus principijs, quàm uel* Lucas, *uel* Matthæus. Ibi *sunt origines illæ descriptæ, quæ sola traditione sine scripto sunt alioqui ab omnibus creditæ.*

Vnde superest humani generis ex sacra propagine origo.

DE

DE OMNIVM GENTIVM ORTV à patribus diluuio superstitibus, id est, Noachitis deducto. Cap. 19.

ANtequam rem ipsam aggredior, uolo paucis tradere, cur Mosis Chorographiam in sua mundi historia descriptã tanti faciam, ut illam confirmatam Ethnicorum scriptis citius, quàm econtrà, cupiam. Illam certè mihi persuadeo esse uerißimam historiam, quæ sine fuco aut ullo uerborum apparatu, nudè et simplicißimè traditur: quæ à nullo, nisi ab ipsa ueritate Deo, & antiquißimis monumentis desumpta sit: quæ à mortalium nemine præmium aut fauorem expectat: quæ nullius authoritate à ueritate ipsa propalanda deterretur: quæ nusquam in sui authoris aut mortalium laude, sed perpetuò in celebrando primæ causæ in homines beneficio uersatur, quando æquè hominum uirtutes & uitia attingit, nec quicquam dißimulat: si ipsam princeps, & sapiens, & sanctus, & qui à nemine mortalium timeat, ac nullius gratia ducatur, describat: & in summa, quæ nulla eloquentiæ superfluitate, sed tantũ ipsa perpetuò sibi constanti ueritate cõmendabilis sit. Talem uerò esse Mosis, de mundi origine, deq; dispersis in toto terrarũ orbe colonijs, &c. nemo, qui hanc uel primoribus (quod

aiunt)

aiunt) labris degustauerit, non uidet. Attulisse autem ipsam eloquentiã fucumq; uerborũ inter mortales mali plurimum, testis est illa iactatio orbis, quandiu ipsæ rerũ habenæ penes Rhetores erant: testes sunt hodie senatores in uniuersis Christianorum senatibus clarißimi, qui singulari anteactorũ seculorũ peritia edocti, prohibent quicquam ultra rem ipsam proloqui, aut afferri. Id nouerat senatus ille Areopagiticus, qui in tenebris, ne quid fauoris ex persona conciperet, ac fine apparatu orationis, reos audiebat. Confirmat illud poetæ hemystichion, Res est contenta doceri. Faciunt fidem ipsi rhetores misera, illa tamen digni, morte perempti. Cæterum te rogauerim, cur citius in ipsa rerũ traditione Græcos aut Ethnicos, uel crebro mendacio infames, audiamus, quàm illos (statuendo rerũ originem, etiam incrementũ & perfectionem, scilicet nostra, cõfirmo) qui nil nisi æquũ & bonũ docent? Certißimum est enim, opinione tantum nuda, non ueritate (quæ rerum omniũ probatione, antequam de ipsis exactè iudices, cõstat) niti illos, qui citius Græcis quàm Hebræis credunt. Illud tamen docent omnes, In opinione simplici nil esse uerum, Veritatem esse paucorũ, Latam esse ad perditionẽ uiam: id est, uulgarem opinionẽ non imitandam: nõ tantum Christus ipse nos docuit, sed rerum cõprobatio ita indies esse monstrat. Rectam rationem paucorum

corum esse, nullus non uidet. Postquam fabulas, uelui dicere historias, Græcorũ, & legem diuinã legeris, iudica utrũ præclarè magis doceat, qui causam primam solam ipsam reueretur, adorat, colit, obseruandam ubiq; censet: an qui creaturas & homines, etiam sæpius uitijs quàm uirtute claros, in numerum deorum reponit? Iudica demum, nonne Aristoteles, Plato, Pythagoras, & cæteri clari Filosofi, qui de moribus aliquid tradiderunt, citius Mosis sententiæ (certum est enim illos omnes, Hebræos discendi gratia adijsse) qua unam solam rerum causam colit & docet, quàm uniuersæ Græcorum & aliorũ ματαιοσόφων turbæ consentiant? Videbis tum certè uerißimum, quod iam dixi, Rectam & sanam opinionem fuisse paucorum. Quod Hetruscus ille Petrarcha tam frequenter cantat,

Voi donque se cerchate hauer la mente
Anzi lestremo di queto a giama,
Seguite i pochi e non la uulgar gente. & alibi:
Mentre al uulgo dietro uai,
Et la sua opinione cieca e dura,
Esser felice non po tu giamai.

Etiam hæc ad nostrum argumentum faciunt. Qui potuit fieri, si historiæ Christianorum & Hebræorum, sint historiæ simpliciter & rara ueritate, ut & Græcorum ac Ethnicorum, ut tot milia hominum & ante et post Christũ, uoluerint rem ipsam in Chri-

in Christianorũ ac Hebræorum lege scriptam, suo sanguine ac morte crudelißima testari, ac ratam haberi? Reuera (ut etiam Atheis suas insanas opiniones admittamus, non probemus) siue fatum, siue casum, siue fortunam aut sortẽ, uel herbam à profetis comestã (ut nefandũ caput poeta Orlãdinus blasfemat) res humanas potius quàm Prouidentiã mouere & regere credant, aut asserant: ego sum in ea sententia, ut & quiuis sano iudicio esse debet, ut quicquid illud sit quod iam totis tribus annorũ millibus mentes uniuersi sub Mose religat tam potenter, ut maximas religiones & imperia destruxerit, & suis sectatoribus maxima inter Christianos, Iudæos et Ismaelitas parauerit imperia, sim in loco summi numinis habiturus. Nam quod per mortem & uiam mundo contrariam durat & roboratur, sit immortale necesse est. Nisi bonum esset illud uirtutis, contra quod, quàm facere (quæ cõstantia certè nec natura, nec simplici opinione, sed à prima ipsa causa authoreq; naturæ Deo, animis hominũ mortalium sibi electorum indita est) mori præstat, reuera non potuisset fieri, ut tandiu in media mundi impietate durasset. Nemo usquam Græcorũ aut Latinorum pro uerißima suæ gentis opinione, legibus, aut historia, uel minimũ famæ dispendiũ spontaneus usquam uoluit subire. Vnde ratione credendum est, quum uitæ gratia omnia fiant, eaq; sit so-

lus na-

lus naturæ usus fructus, immissam esse à Deo solo naturæ parente, & in præstabiliorem ipsa uita corporea usum, spiritum nostrum transferente, illam firmã persuasionẽ, quæ debeat citius seruari quàm ipsum esse ac naturæ compositum. Vult enim fœlicißimam illam creaturam, cuius causa uidetur cuncta creasse, ita sanctè uiuere, ita sui imaginem ipsa æquitate & innocẽtia uitæ repræsentare, ut illam malit secundũ sacrorum præscripta, si res poscat, uel naturæ organa destruere, quàm præter iusti et æqui regulam uiuere. Quamuis enim Plato, Aristoteles, multis admodũ, summaq; eloquentia de uirtute ac summo bono disseruerint, polliciti q; fuerint rationibus amplißimis æternam fœlicitatem ac immortalitatem uirtute præditis: nemo tamen usquam uel pro uerbo uno Aristotelis aut Platonis asseuerando, minimum detrimenti accepit. Quod sanè arguit, illic non adesse Dei spiritum. Illa quidem scripta esse uero consona, sed hominum gloriæ ac ambitioni coniuncta: ista contrà, sine ullo rhetorices apparatu, nudè & simpliciter prolata, ita electis habentur uera, ut pro illis asserẽdis, nec mortẽ ipsam, quæ est mortalibus meritò in summo terroris genere reposita, subterfugere uelint: uerùm multi singulari prudentia, insigniq; innocẽtia uiri, illam ultro etiam, omni suppliciorũ ac crudelitatis genere refertißimam, appetendã ducant. Magni faciat antiquitas,

quitas, unum aut alterum sibi consciuisse mortem. Catoni, ne ueniret in infensißimi hostis manus, subeunda fuit, non quidem spontanea, sed coacta: idem Hannibali, Bruto, Antonio, Lucretiæ, Cleopatræ. Sed omnes aut humanam captantes gloriolam, aut manum inimicorum effugere uolentes, sibi intulerunt, aut afferri à suis sibi manus iusserunt: omnes tamen illi ad immortalitatẽ, quam falso medio quærebant, contendentes. At uerò quot myriades milium hominum hic reperias, quibus licebat esse maximis, beatisq́;, si uitæ Deo ingratæ placuisset conditio? qui tantum pro Dei uerbo asserendo, sponte perpeßi sunt, non mortem tantum semel, sed centies, ut tandem dulcior illa uita cœlestis affulgeret? Me uoluisse istud argumentum inter Christianos nunc tractare, nemo miretur: scio quibus scripserim. His rationibus puto satis me ostendiße, Mosis scriptorum certitudinem: & Iosefi, quem potissimum illius interpretem sequor, fidem ac diligentiam. Ad rem igitur.

DE POPVLIS A' CHAMO SIVE Chamese ortis. Cap. 20.

NOacho fuere ante generalẽ aquarũ illuuiẽ tres filij, Semus, Chamus, Iapetus. Semo & suis, Asia: Chamo, in quarta sua generatione maledicto, & fratrum suorũ seruituti subiugato,

to, Africa: Iapeto (cui pòst ius primogenituræ mun di competit, & datum est, ut iure habitet in Semi ta bernaculis, tam iuridicis in parte Chami, q̃ proprijs in Asia, illi cum sacerdotij summi iure concessa) Europa cum insulis maris nostri, & Asia mino re, obtigit. De singulis nunc dicemus, à Chami pro genie, seu ab Africa ducentes exordium. Chamus quatuor filios habuit, Chußum, Mitzreum, Phuthæum, Chananæum. Anno circiter trecentesimo post diluuiũ, qui fuit uitæ Noachi plus minus nongentesimus, eo anno quo natus est Phaleg, abierũt in uarias colonias, diuiso inuicem orbe, filij Noe: ob idq; uocauerunt illum unum Pheleg, quod diui sionem significat, ut suo nomine tam celebris facti memoriam cõseruaret. Cham igitur dedit primogenito suo partem Aethiopiæ, quæ supra Aegyptũ est, à quo uocati sunt Aethiopes ipsi Cussæi: quos suo sæculo ita uocari ab omnibus Asiaticis, aßerebat Iosephus. Non longè hinc, ad Libyam interiorem pertinere Chuzitas & Chuzarim fluuium, ait Ptolemæus: Græci uoce quæ nigredinẽ aut nigros significat, αὐθίοπας, id est, facie adustos dixere, interpretando. Alteri Mizraim nomine, ceßit Aegyptus, à quo etiã olim Mesræos (corruptè apud Iosephum Mersæos legitur) dicebant, quod nomen hodie etiam durat. nam totam Aegyptũ hodie Mit zir & Mitzri appellant, tam Arabes quàm Tur-

פֶּלֶג

כּוּשׁ

כּוּשִׁים

 chæ,

chæ, qui illa potiuntur: Iudæi prisco uocabulo Mitzraim nominant. Vox ipsa angustias significat, interpretatio Græca æstum. Non male quadrat interpretatio prima: illic enim nō de cœli soli'ue beneficio, ut in alijs regionibus, sed de fluminis cremento uel decremento pendēt. Vnde tota regio, præcipuè mediterranea, multo ac malefico genere animantiū scatet. Alio uocabulo dicitur terra Cham, id est caloris, seu in qua Chamus ipse habitauerit. Phuthæus occiduas Africæ partes habuit, nominauitq́; populos suos Phutæos: quo nomine olim, teste Iosepho, tota Africa dicebatur. Sed apud Ptolemæum, Phuthæi populi sunt in occidua Mauritaniæ Tingitanæ parte, quæ à Tingi urbe hodie Altangir appellata, nomen habet: ubi regnum Fessæ est: unde etiam eodem nomine fluuius, qui perperā Phthuth solet scribi, exit uersus occasum. Illam plagam uocabant Græci μαυρουσίαν, à colore habitantium ficto nomine: Latini Tingitanam Mauritaniam, ad interioris illius quæ à Cæsare nomen habet differentiam, ólim dixere. Nunc nautæ uocant Barbariam, totam plagam maritimam: ipsi uerò incolæ, Islē, ac si dicas fidelitatē. Regio cœlo soloq́; læta, quod dictio indicat, pinguem notans: cuius rei argumentum faciebat olim, antequam de nugis Muhamedis uinū prohibentis penderent, mons ob uitium insignem fertilitatem ἀμπελουσία dictus. Quidam

מצרים

פוט

ἄμπελος

scribunt,

ſcribunt, hunc Phut fuiſſe, quem in ſuis fabulis, nulla in re non audaces Græci, Phaetonta appellant. Quum enim de ignoti generis homine quicquam aut fama aut præſentes accipiũt, ſi ſit aliquod præclarum facinus, aut inſolitum, ſtatim talem, cuius genus ignorant, in genere quorundam deorum reponunt: ut hunc ſolis & nymphæ Clymenes filium ſcribunt. Ita ſuis nugis infinitos Deos, Ioues, Martes, Saturnos, & tales ſæpius perditas hominũ colluuies, fortaſſe una tantum aut nulla uirtute claros, ſibi ad colendum confingunt, excogitantq;, Deum indiuiſibilem in mille etiam diuerſiſſimas particulas diuidentes. Quartus filiorum Chami, Chanaan nomine, confinia Aegypti & Syriæ, qua Palæſtinã attingit, habitauit: uocauitq; terrã Chanaan. Pòſt uerò mutato nomine eiecta illa lucro intentorum hominũ cupidine, quod dictio oſtendit, Iudæa & Palæſtina appellata eſt. & quia Cham erat maledictus in Canaan quartogenito, ad Semi progeniem Abrahamiticam deuenit terra ſancta. Nunc de filijs Chuſi, ſeu Aethiopis agemus. Nati ſunt huic quinq; liberi, Saba, Heuila, Sabtha, Rahma ſeu Regma, & Sabthema. Saba nomen Arabiæ fœlici præcipuè dedit: Sabæam omnes authores profani nominant. uox Hebraica circuitum ambitum'ue notat. Clauditur enim tota mari Perſico, Indico, Arabico, Rubro'ue. Nemo miretur, nomina indita

Margin notes: כנען (beside "hominũ cupidine… Iudæa &"); סבא (beside "gma, & Sabthema. Saba nomen Arabiæ fœlici").

rebus, etiam propria, præcipuè quadam uetustate insignia, rei proprietatē aliquā magnā præ se ferre (ita Deo, fato naturá ue incognita homini suggerente) donec legerit Cratylon Platonis, de nominum recta impositione: tunc dicet nos nil absurdū in hoc argumento committere, ut qui præter nomina ipsa etiam rationē ac etymon adferre conemur.

חוילת Heuila, Getulos postea dictos, Heuilæos, si Iosepho credimus, nomine suo dixerat: hodie Tambutios & Melios dicunt, ubi ob oris fœtorem incolæ aurum sale permutant. uoce Hauila, Hebræi dolentem intelligunt. Tertius Chusi filius Sebath, seu Sebtha, Astabarenorū Aethiopum regionē incoluit. reliquit etiam de suo nomine urbem Sabath (perperam solet scribi Sabach) iuxta Adulicum sinum, ad Auxumios, quam pro freto sinus Arabici condidit. Hodie aliquantum deprauato antiquo nomine, incolæ Seboyn appellant. Soli huius regionis habitatores Christiani in tota Africa sunt. Aiunt ab illa plaga uenisse olim Reginā Saba, ut quæ de Solomone Iudæorum rege mira sapientiæ summæ indicia fama audiuerat, præsens intueretur. Sed uolo aliquā laboris, Theologis nō satis in Cosmographia uersatis, partē, mea diligentia diminuere. Dicitur regina Saba uenisse ad uisitandū Solomonē. Dicebat Dauid, reges uenturos à Saba, ac aurum & thus Christo Iesu Meßiæ oblaturos. Habuimus

mus

mus iam, Saba Arabistan, seu Arabiã appellari. Videntur hæc Latina scriptione eadem, quum sint diuersißima, & loco semotißima. Latinis literis discrimen non potest obseruari dictionum, ut Hebraicè. Latini enim tantũ s habent unũ, Hebræi tres: Samech, quod cum sibilo sonat: Ssin, seu schin, quod craßius: & sin, quod tenuiter more s Latini sonat. His literis cognosces differentiam. Si enim per Ssin scribitur, significat Arabiam Seba, quamuis sæpißimè scribatur per samech pro Arabia: si per sin, significat Orientalem Arabiæ regionem, ad Persidem, qua uenerunt reges illi ad colendũ Christum: si per samech, regio est illa quæ ad Aethiopiam pertinet, unde uenit regina Austri. Si respicias Hierusalẽ, ab ortu Magi uenere, Arabia in parte Australi erit, uersus euronotum: regio de qua nunc egimus, erit ad lybonotum. Illic dominatur potẽtißimus ille princeps Christianorum Nubianorum, quem dicimus Presbyterũ Ioannem, aut Prestanum: sui aũt Ioan Belul, id est preciosum Ioannẽ: prole & fide successor Candacis reginæ illius, cui fœlix ille eunuchus, quæsito in litera Christo, ac reperto tandẽ, sacro perfusus lauacro, plantaria ac fidei Christianæ gemmas retulit: ut ille idem qui olim fuerat à delicijs, diuina tandẽ ordinatione Christianã pietatẽ insereret. Hactenus perdurãt ab illis temporib. in dogmate Christiano, nusquã (ut qui-

שׁבא

שׂבא

סבא

 dam

dam illorum sacerdotes mihi asseruere) hæresibus infestati fuere, non alia certè de causa, nisi quia illorum sacrificuli Deum et mammonã nusquã coniungere uoluerunt. Magnum profectò bonitatis diuinæ exemplũ, his temporibus reuelatũ nobis, tam diuersam mundi plagam inhabitantibus. Imperata facere cogit princeps ille 17 reges Muhametanos. Illius regia dicitur illorũ lingua Achsum, in eo loco ubi olim Ptolemæus posuit Axumã, & Axumitas populos. De hac re, si Deus dabit, in Cosmographicis nostris pluribus agemus. Rhegma in orientali Arabiæ parte egit, ubi urbem eodẽ nomine, & alteram Regimã nũcupauit. Scribitur uox illa Hebræis nõ per g, seu per gimel, sed per haim, quæ adeò gutture profertur, ut transeat plurib. in g: ut in עזה haza, quæ gaza dicitur, & עמרה gomora, & hic רעמה regma. Filius istius natu maior Seba nomine, dedit nomen illi parti Arabiæ in finibus Persidis, de qua antè dixi: ubi Ptolemæus ponit Magorum sinum. Alter natu minor, Dadan dictus, Dadanam ciuitatem, quæ est apud Ptolemæum, uidetur in Arabia deserta reliquisse. Iosephus ait, à Sabathacha Sabatacheos dictos. illius uocis nullũ uestigium reperio, nisi in urbe Sebatta, nõ longè à Syrtibus, quas hodie uocãt Seccas Barbariæ. Vsqueadeò est arduũ restituere antiquitati, quod libidine ac operibus humanis cõsurgit: quum

uix

uix etiam perpetuò sibi similis & constantis naturæ opera, animalia & plantas, antiquorū tanta diligentia depictas, à natura eadem cōditione asseruatas cognoscamus. Nemrod penè exciderat, sextus liberorum Chußi, qui à Beroso & Chaldæis dicitur Beli Prisci pater. Is quasi uim naturæ afferre, cuius artem & potentiam ingenio humano effugere uolebat, cupiēs, & secundum nomē suum diuinæ repugnans potentiæ, in nostram omnium perniciem, turrim illam, ad illuuiē aquarum deuitandam, excogitauit. Vbi diuina ostendit Prouidētia, falso suis niti sensibus mortales, si præter naturæ præscriptū quicquam temerè aggrediātur. Quod facinus infamia tam memorabile, quū ad fabulatores Græciæ peruenisset quadā tenui fama, finxere Gygantomachiā illam, montes montibus superponentem, ut Iouem ipsum de sua sede detruderet. Nomina Gygantum eadē ratione, quam attuli, sunt illis cōficta. Iouem ipsum disiecisse molem, nil aliud indicat, quàm pœnam illam quam inflixit Deus in dispersione labiorum, ubi cœpit esse durior hominis ad hominem conditio, quàm brutorum & rationis expertium animalium, indicio quodam naturali mutuò se intelligentium. Mutatum illic naturale idioma, & primū à parente rerum naturæ Deo concessum munus. Nomen turri & operi imperfecto Babel fuit, בבל quod confusionem notat, מרודנ מרוד

 satis

ſatis uoci Gallicanæ accedẽs. Balbutiendi enim uerbum, babillare dicimus. Opus ultione diuina incompletum, abſolutum fuit non à Nino, aut Semiramide, ut hiſtorici Græcorum falſo omnes crediderũt, & ſcriptum reliquerunt: ſed à Nebucadneſſer, qui anno Aſtyagis Medorum regis 9. Iudæos captiuos abduxit, cuius miranda quædam opera in libro primo contra Appionem grammaticum Ioſephus ex Beroſo Chaldæorum hiſtoriographo recitat: cui ſententiæ certè citius ſubſcripſero, quàm uniuerſæ Græcorum turbæ. Regio tota à tam celebri urbe Babyloniæ nomẽ apud omnes authores habuit. Alioqui terra Sennaar & Chaldæa dicta eſt. Ipſi Mizraim, cui diximus Aegyptum ceßiſſe, filius fuit Ludim, uel Lud, à quo Lydia, non illa Aſiæ minoris, ſeu (ut hodie uocant) Natoliæ regio, ſed urbs in Petræa Arabia, ita pro uſu linguæ Græcæ uerſo uau ו in υ. Ita enim in multis dictionibus inuenimus ו uerſum in υ, ut in לוּדִים λύδιοι, בּוּץ βύσσος byſſus pannus, צוֹר, τύρος Tyrus, urbs Palæſtinæ maritima, uerſo צ in τ, & ו in υ. אשׁוּר שׁוּר συρία, ἀσσυρία. Ananim dederat nomẽ Anaitis in Aethiopia, ſub Aegypto agentibus. Ex hominum abiere memoria: ut res omnes Aethiopũ, quæ in bello illo Pharaonum contra Aethiopas duce Moſe, antequam eſſet Hebræorũ dux, deletæ ſunt.

Tertius Aegyptij filius fuit Lehabim, à quo con-

tracto conciso'ue nomine Libyi uocati sunt. Duplex est Libya, quadam superior, quædã inferior, ambæ in occidua Aegypti parte. Regio illa tota nomine Africæ propriè dicta est: Græci ἀφρίκην, id est, sine horrore (nam φρίκη horror seu rigor est, qualis solet adesse febribus: cuius uocabuli uestigiũ Galli seruãt, friæon dicentes) uocant. Iosefus refert Africæ uocabulum in Afrum, seu Aferum aut Eferum Abrahami filium. Hebraica uox להבים inflammatos significat. Nomen suum debent Naphtutæ populi, in occidua Numidiæ parte manẽtes, ipsi Naphtuhim. In multis exemplaribus falso Nattabutæ legitur. Hunc paulùm immutatis syllabis fuisse, quem Latini Neptunum, à nando, ut Ciceroni placet: uel à nubendo, id est cooperiendo terram, ut uidetur Varroni: præter nominis magnã affinitatem, & nauigandi peritiam, aræ etiam illi in Africæ littoribus dicatæ iuxta Vticã, quæ nunc Bizarta est, testantur. Plaga illa in tota Africa est solo cœloq; lætißima, Numidia aliàs dicitur. Palabundis olim, & greges pascuorum causa sectantibus hominibus habitabatur: ut & nunc tota ferè Africa, Arabia, Syria: si maritimas, & mercimonio, concursuq; populi claras frequentatasq; urbes excipias. Græca dictio à pascuis, Hebraica à cœli aperto fauore sensum habet. Arabiæ Petreæ, non à Petris, ut uulgo credunt, quum sit ferè omnis arenis sterilibus obducta, נפתוחים

ducta, nomen fuit inditum: sed à Petrusim, sexto filiorum ipsius Mitzraim, qui præterea illic urbem Petram posuit. Idumæa præterea, triplex illa Arabia, Fœlix, Petræa, Deserta, dicta est postea ab Edom Esau, id est, rufo seu rubicundo Esau: quæ Idume authoribus profanis est. Crediderim sua asserere, externa antiquare uolentes, ob id dixisse mare rubrum, ὀρυθραὶν θάλασσαν, Græcos, quod illas partes coluit, partim ob rufescentes arenas, partim ob nominis Hebræi traductionem. Chasluchim, contendunt Caßiotida inter Palæstinam & Aegyptum nuncupasse. Ex Arabibus, Idumæis'ue, atque ex Chasluchis, aiunt descendisse Palæstinos. Iosephus ait, habitatas fuisse Iudææ regiones à Gaza & Aegypto, à filijs Nemrod, à quorum uno tantum nomen Palæstinæ mansit. À Caphtorim dictos fuisse Cappadoces, recito, et authoritate mihi facile persuadeo. Quia Phuth longe à Syria ipsa habitabat, uidetur illius genus & progeniem Moses obmisisse. Nolo autem quicquam in hac re, præter sacræ paginæ præscriptum, ne temeritatis arguar, dicere: quamuis in Berosi compendio satis aperiatur, quia præter sacra dicit, relinquo. Chananæo nati sunt hi liberi, Tzidon, Heth, Iebus, Aemori, Gergaßi, Hæui, Harachi, Sini, Aruadi, Tzemari, Hemathi. Tzidon reliquit urbi maximæ in occiduo Palæstinæ littore nomen Sidonis. ea urbs

uitri

uitri inuentione olim, ac preciosis linthcis clara erat. Hethei *tantum nomen in sacris nouimus: ita funditus omnia illorum* Chananæorum *monimenta euerterunt filij* Israel*, ut pauca antiquitatis superfuerint uestigia.* Iebusæus Iebam *urbem, ad* Carmelum *montem, ac* Iebus*, quæ postea* Sebus *&* Solyma *&* Salem*, &* Ierusalem*, deinde* Aelia Capitolia*, postremò* Cods *&* Codsbarich *dicta est, condidit.* Nominis Sebus*, pro* Iebus*, omnes meminere.* Solymorum*, tanquam potentißimorum suo sæculo, & paulo antè,* Homerus*: ubi &* Bellerophontis *(sub cuius fabula historiam* Iosephi *antiqui uidetur inuolucris describere) meminit, ac cõmendat illum ab insigni armorum peritia, quum ait,* καὶ σολύμοις ἐμαχέσατο*, id est, aduersus* Hierosolymitanos *pugnauit.* Nec *mirũ est illos populos ita omnibus terrori fuisse, ut quibus præsens* Deus *adesset, resq́; illorum præter uota humana tractaret: ut putaretur præstãtißimus inter mortales meritò, qui post consertum prælium manus illorum effugeret.* Vrbs *ipsa multis nominibus insignis est: quam* Dauid *ab idolorum cultu ad* Dei *sacra traduxit: quam* IESVS CHRISTVS *suis prædicationibus, morteq́; ac resurrectione sua, longè omnium celebratißimam reddidit.* Ierusalem *dicitur* Iosue *decimooctauo, ac in toto nouo* Testamento. Monumenta Emorrhæi *periere.* Gergassæus*, quem*

Hebræi

Hebræi Girgaßi dicunt, nomen impoſuit regioni Gergeſſenorum, & mari Geneſar, id eſt, Tyberiadis. quæ uocabula uariè efferimus ab interpretibus Chaldæis: ab Ankelos, Gineſſer, Numer. 19. & à R. Ionathan, Ioſue 13. Ginoſſer, præferendo. Græci Geraſenos appellant, priſci nominis quadam ubiq; ſeruata affinitate. Memoria Heuei cum homine obijt. Aracheus ciuitatem Archam, quæ perperam in Ptolemæo Arca legitur, conditam reliquit. Sineus montem Melanũ, in Arctica Arabiæ deſertæ parte Sineum uocauit: nos Sinai. Illic una manſionum ſtationum'ue filiorum Iſrael, ex Aegypto redeuntium fuit. Ptolemæus dicit mõtem Sina. Paulus eodem uocabulo nuncupat, ubi legis & Euangelij gratiæ'ue allegoriam tractat, dum ait: Sina mons eſt in Arabia, coniunctus ei qui nunc eſt Ierusalem, &c. Aruadi, ſeu Aradi, conciſo uau habitauit Aradon inſulam Palæſtinæ obiectam: unde populi in Syriæ cõtinente illi oppoſito Aradij dicti, & aduerſo littore urbs Antarados nominata eſt. Tzemari urbem Tzemarã de ſuo uocabulo dixit, illam ſcilicet, quæ tribui Biniamin ceßit, non Samariam illam uulgarem. nam & ὀρθογραφία & χωρογραφία differunt admodum. Hæc per tzade ſcribitur, illa per ßin: hæc à lana, illa à cuſtodia dicitur: iſta tribui uni data eſt, Samaria fuit alterius. Aemathi fuit uocabuli author Hemathæis, quos ſuo

צמרי
שמרון

ſuo ſeculo patrio uocabulo ita teſtatur Ioſephus appellatos, populos circa Epiphaniam, quæ antea Hemath dicebatur, habitantes. Quidam contendunt Antiochiam olim id uocabuli habuiſſe, quòd magnitudine eſſent pari, & totius orientis frequẽtiſsima emporia. Hactenus de Chamo, & ſua poſteritate.

Nunc uideant, quomodo rerum originẽ tradent, qui linguam omnium antiquiſsimam inutilem prædicant. Reliqua proſequor non ad argumẽti, quod probatiſsimũ credo, demonſtrationem: ſed ne in aliqua rerum origine tradenda defuiſſe uidear, ut hac mediocri noſtra diligentia excitentur abſolutæ eruditionis uiri, ad abſolutam argumenti tractationẽ.

DE PROGENIE IAPETI, ET populis ab eo progenitis. Cap. 21.

IAphet, quem profanæ hiſtoriæ Iapetum & Attalum nominant, habitauit orbis partes literis aut fabulis Græcorũ celebratas, ab Aſsyrijs & Medis totam Aſiam minorem, & notiorem, ad Tanaim uſq;, & inſulas maris Mediterranei, atq; orientales Europæ partes. Tanquam omnium hominum antiquiſsimi, illius meminit Horatius, quum ait,

Audax Iapeti genus,
Ignem fraude mala gentibus intulit, &c. qui locus deſumptus eſt ex Heſiodo in Ergis & Hemeris,

ris, ubi de rerum origine ac ſeptem mundi agit æ-tatibus, uidetur. uerba illius iungo:

Ἰαπετιονίδη πάντων πέρι μήδεα εἰδώς,
χαίροις πῦρ κλέψας, καὶ ἐμὰς φρένας ὑποδροπεύσας,
σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα, καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισι.

De Prometheo Iapeti filio loquitur ibi Iupiter. Locus iſte totus apud Ouidium in Metamorphoſi traductus eſt. Non abſimile, ſed paucioribus, ſexto Aeneid. tractat Virgilius. Omnes enim, quod ſæpius dixi, quadam uulgari fama, ea quæ Moſes ac uniuerſi Chaldæorum ſapientes ſcripſerāt, de mundi creatione ac primæua illa hominum ac rerum origine, acceperant, quæ paribus inuolucris à Platonicis & Pythagoræis erant deſcripta: nec obmiſſa fuiſſent ab Ariſtotele ipſo, niſi quadā diuerſitate, & ingenij confidentia, uoluiſſet tum cæteris omnibus fieri, aut ſaltē uideri, diſsimilis: tum præcipuū unum illud habere, ut in præceptorem, ac eius placita inſurgeret. At fortaſſe non ita Prouidētiæ uiſum erat: ſcilicet antequam lux ipſa rebus denuò reſtituendis affulgeret Chriſtus, noluit profanis hiſtorijs immiſceri ſacras. cuius rei fidem fecit Theopompus hiſtoriographus, qui quum ſuis nugis ſacram uellet admiſcere hiſtoriam, cæcitate percuſſus eſt, quoad deſtiterit, temeritatisq; pœnituerit. Vt igitur ad rem redeam, profani omnes authores Iapeti, tanquam ſui generis antiquiſsimi, meminere: ut re-

uera

uera est primogenitus Iani, Noachi'ue. Genuit autem istos liberos: Gomerum, Megogum, Medain, Iauan, Tubal, Messech, Thirass. Gomer uerò, istos: Askenaz, Riphath, Togorma. Iauan autem, Aelissa, Tharsis, Cithim, Dodanim. De omnibus dicamus. Iosephus ait, olim Galatas dictos fuisse Gomeritas, à Gomero: similiter & Berosus, ut postea uidebitur. Quod nomen interijsse in illa incursione Britannorum & Gallorum per totam Europam, usq; in Asiam, puto. Crediderim tamen facile etiam Comaros populos, ad Assyrios & Medos pertinentes, affinitate literæ ab eo dictos. Constat historijs externis, Solino teste, Gallos esse Vmbrorum parentes, qui tamen Vmbri sunt, ipsi diluuio coniuncti: unde intra diluuium, auitum Gallorum nomen fuisse necesse est. Pomponius Mela, illorum in Asiæ mediterraneis meminit. Ptolemæus urbem Gomaram ad Assyrios pertinere dicit. Magog Magogas, seu Massagetas, uel Magagetas Scytas nominauerat olim: Scythæ dicti sunt Græcis, τ in θ, quod crebrò pellibus pro indumẽtis ob ingentia frigora uterentur. σκύτος enim coriũ Græcè dicitur. Medai Medos nominauit. Iauan, Iones: quo nomine uniuersos Græcos, omnes Orientaliũ linguæ, pariter ut Hebraica, hodie nuncupant. A' Tubal, quem Iobal aliqui dicunt, uocabantur olim Hispani. Nil mirum, tantam antiquitatem inter linguæ Latinæ lenocinia

nocinia locum perdidisse. Iam temporibus Iosephi uocabantur Hiberi, quod uocabulum nunc uulgaribus planè ignoratur. Quos populos Messec nominauerit, non reperio: nisi affinitate nominis credam Moschos illos, quorum meminit in Asia Mela, cum suis Corsitis, Phoristis, Riphacibus, Rhophanis, Dabis, Bomareis, & huiusmodi longè istis durioribus, & tantum uocabulo cognitis nominibus. Ab illis uenisse Moscouitas, etsi nomen non succurrit, non sine authore dico. Thiras Thraciæ nomen dedit. Hæc nomina quamuis frequentißimè Græci celebrant, illorum tamẽ originis sunt ignari: nec aliud in omnibus norunt, nisi res illas, quarum origo illos lateat, in genealogiam confictam quorundam deorũ referre. Magogi, seu Massagi filius primus, dixit Azknazim Germanos, qui primùm ex partibus Septentrionalibus irrupere in ea loca ubi nunc agunt. Nam ut primùm à Medis seu Assyrijs traductæ sunt in toto orbe coloniæ, ut Iaxamatas Mæoticos ait Plinius ab illis descendisse, ita quadã hominum feracitate frequentißimis incursionibus solent inde inuadere alias orbis partes. Sycambri, Germani, Hunni, Gotti, Vandali, Persæ nostri sæculi, Turchæ, Cercaßi, id esse uerius quàm par sit affirmant, req; ipsa ostendunt. Vocabulo Askenazim Hebræi, etiam Asiatici, Germanos hodie appellant. Riphat Riphæis populis, quos alio nomi-

ne

ne Hebraico Sarmatas pro Assarmauthas dicimus, ac montibus originem nominis tribuit. Togorma genuisse illos qui hodie Turchæ nomen audiunt, uox qua ab Hebræis ita hodie compellantur, mihi confirmat: licet alij Thag orma, seu Thagum horma regem Hispaniæ uocant. Iauan uerò posteritas ita habet. Elissa primus liberorum illius, Aeolos in Asia nominauit, deinde Elidem regionẽ in Pelopõneso, uel Morea, relicta urbe Elis nomine, Ptol. Straboni autem Elisia uocata. Alter est Tharsis, qui Priscum nomen Ciliciæ dederat, quod remansit Tarso urbi eiusdem prouinciæ, quæ ita olim florebat & studijs, & frequentia mercimoniorum, ut mater urbium authoribus humanitatis diceretur. Verùm quia dictio Tharsis sæpißimè diuersa significat in sacris, non erit præter instituti nostri rationem, de ea aliquid disceptare. Hic, Geneseos 10. & Iudith 2. ac Ionæ 1. accipi pro Cilicia, certò constat. Alibi, diuersa loca, quæ tamen coniectura uehementi liceat assequi, notat. Locus 3. Regum 9. est nobis primò attingendus: Classem quoque fecit rex Salomon, in Asion Geber, quæ est iuxta Haillam, in littore maris rubri, in terra Idumææ. Hac uoce Ophir, Tharsis intelligi apparet in Paralip. 2. capite 9. ubi hanc retexit historiam. & eod. lib. cap. 20. ubi posteros reges ait, etiam in Asion Geber naues ornare solitos, ut in Tharsis

mitterent. Quum autem improperant principibus huiusmodi pecuniæ studium prophetæ, perpetuò sub nomine Tharsis, nusquam sub Ophir, id faciunt. Nec reperio quod multi doctores uolunt, ubi pro mari illa uox accipiatur. Quum enim ait Dauid, Reges Tharsis & insulæ (quo loco nituntur quidam mare intelligi) & reges Arabiæ & Aethiopiæ dona oblaturos, non de regibus piscium, aut aquæ, sed terræ, intelligit. Verùm crediderim facilè, de maritimis locis & insulis, id dixisse. Ophir certè uidetur locus quidam propior, ob uocabuli familiaritatem, & in eo loco, ubi olim prisci Cosmographi statuebant, imaginabantur´ue auream Chersonesum, ubi hodie est Malacha. Tharsis autem est remotior locus, ut nauigatione ipsa constat. Illic enim (in Regum, & Paralipom. libris dico) scribitur, singulo quoque triennio nauigationem compleri solitam, quæ aurum, argentum, lapides preciosos, aromata, simias, pauones, hebenum, & huiusmodi adferret: quæ omnia mihi itineris à sinu Arabico ad Moluchas, ac cõtinentem terram in sinu maris Sur, illis omnibus rebus ac amplioribus regiones refertißimas, rationem adaugent. Erat enim illic nauigandum per mare flexuosum, ac tum temporis non satis cognitum, insulisq; plenũ, plus minus per 150. gradus longitudinis æquinoctialis, ubi etiam solet magna paucitas uentorum

torum esse. A' quo hæc scripsi, sciui regnum Tharse in Serarum finibus esse, unde uenere Magi ad adorandum Christum. Nam ita scribit fide dignißimus Hayton, qui 42. annis regno Armeniæ in Cilicia præfuit, Tharsensesq; Christianos cognouit. Hæc de Tharsis, boni consulas. Cithim, ubi Cyprios Cytiæos appellasset, illicq; urbem Cytium, quæ nobis Zenonem philosophum peperit, de suo nomine uocatam reliquisset, contendit (si Berosi compendio credimus) in Italiam, quæ inde ab Hebræis omnibus Cithim dicitur: quo nomine generali Maris mediterranei insulas Iosephus suo seculo nuncupatas asserit. Non me latet, Esaiæ 66. Italiam Tubal appellari, quæ uox confusionem notat. Quam uocem in communius uocabulum mutatam, ausus est diuus Petrus, & Hieronymus, Babylonem (illius præcipuè caput Romam intelligendo) id est, confusionem, unde olim exiret omniũ uitiorũ orbem totum infectura colluuies, nominare: qui locus luce clarius à Petrarcha duobus Tessareskædecastichis declaratur. Dodanim, affinitate elementorũ Rhodanim, id est, Rhodios seu Colossenses nominauit. Dalet ד enim & ר ress, habent plurimum in figura affinitatis.

DE GENTIBVS A' SEMO progenitis. Cap. 22.

NVnc de Sami posteris quicquam attingemus. Primus illorum fuit Elam, *à quo* E*lamitæ orientales populi, ad* Per*sas attinentes, dicti sunt.* A*ssur,* A*ßyriæ nominis fuit author.* Illa re*gio attingit* Mesopotamiam, Medos, & Armeni*cos.* Vocabulum Aramæorum *olim* Syri *orientales audiebant.* Ab Aramæis *deductio tam gentis quàm nominis* Armeniorum *fuit.* Cætera *nomina quia in orietalibus partibus* A*siæ sunt, à nobis disiunctißimis in locis collocata, nobis ita sunt obscura, ut præter nomina, nil planè nisi quiddam coniecturæ habeamus.* Hus Trachonitidem *regionem, unde fuit* Iiob, *nominauit terram* Hus, *quæ est inter* Palæstinam & Syriam, *quam alij* κοιλοσυρίαν, *id est humilem atq; depressam* Syriam *uocant.* Septuaginta *interpretes* αὐσίτιδος *terram dixerunt: quam uocem quidam sciolus theologus australem, ex uoce* Ausitidos *dixit, putans austrum, id est notum, & ausitin, habere aliquid affinitatis.* Arphaxad *nominauerat* Chaldæos *olim* Arphaxadeos. Habitauit *iste in Septentrionali parte* A*ßyriæ, quæ* Ptolemæo *in quibusdam codicibus dicitur* Arrachitis, *in alijs* Arrapachitis: *in utrisq; perperã, quum sit legendum* Arphaxitis. Patebant *autem* Chal-

dæi

dæi in Babylonia, *Aßyria,* Adiabena, *Cœleſyria,* Syria, *Arabiæ parte, &c.* Gether *habuiſſe* Bactrianos, *fama tantum ſcimus: ſicut & res ipſas orientales, nec antiquis* Coſmographis, *nec noſtro ſeculo ſatis cognitas puto.* Fuit *enim illic perpetuò neſcio quid* Barbariei *interpoſitum, ne res illorum nobis cognitæ eſſent.* Aſſarmauet *fuiſſe* Sarmatarum, *ſeu* Sauromatarum Scytharum *authorem, uocis affinitas ſatis declarat.* Heuila *alter nominauit* Indos orientales, *quos* Gihon *ſeu* Ganges *alluit: ut primus* Heuila Indos *Africanos, ſeu* Aethiopes. Ophir *uidetur nomen reliquiſſe illi prouinciæ auriferæ, de qua ſuperius in* Tharſis *egi.* Potuiſſem *longè plura ad hoc argumentũ adducere, ſi* Anniũ Viterbienſem, *Manethonis et* Beroſi *fragmenta uoluiſſem ſequi: uerùm nuſquam quicquam mihi uiſum eſt ſcriptu dignum, niſi rationem & authoritatem probatißimorum authorum conſentaneã habeat.* Quale *hic ex* Moſe, Ioſepho, & Hieronymo *feci.* Nolo *ad confirmationem huius antiquitatis, adferre authorum nomina, quorũ* Ioſephus *primo* Antiquitatũ *cap.10. meminit, & quos* ἐν τῷ περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ *citat,* Iudaicæ *antiquitatis &* Chaldaicæ *teſtes amplißimos, ne actum (quod aiunt) agere uidear.* Fidem *faciũt huius rei traductæ in toto orbe coloniæ, quæ perpetuò ab ortu in occaſum ſub ipſa rerum origine ductæ ſunt, non e-*

contrà. Authores etiam humaniorū literarum, tam Latinis quàm Græcis literis scripti, huic causæ patrocinantur. Vt interim cæteros omittam, ac ut elegantißimum & facilè inter historiographos Latinos primum, ita fidelißimum Salustium adferam: is inquam, in tota Africa traductas olim à Persis, Medis, Phœnicibus, Armenis, &c. (qui populi omnes erant Chaldæi) colonias recitat ex multis authoribus, quarum tamē rerum fidem penes illos relinquit. quem locum, ne quid nos dicas confingere, in Iugurthini belli historia uidere poteris. Hiberos populos, ab Asiaticis, deductis à gente Chaldæa, in extremo Europæ angulo, atq; adeò in continentis occiduo fine, habuimus. Albanam gentem olim his de sedibus profectam, aluit Italia. Græciæ etiam illa pars quæ ferè ad Acroceraunios Græciæ montes agit, hinc suam agnoscit originem. Francos è Germania in Gallias irrupisse constat, quum sint reliquiæ Troianæ. Troiani autem à Dardano filio Athlantis seu Itali, regis Europæ, sunt conditi. Galatas (quod nomen olim Gallorum fuit) omnes populos ab Iberia in Scythiam usque dici à Romanis suo sæculo, author est Diodorus Siculus. Illos Germanos Scythia profectos (quamuis hodie quidam inter αὐτόχθονας, Atheniensium, ut puto, æmulatione, id est indigenas, seu terrigenas illos reponit) maior historiographorū pars asserit. Scy

thas

thas uerò à Chaldæis ortos, quibus est contentio ueritate prior, antiquiorq́;, soli negant. Volo autem ostendere, non solum deductas in totum orbem colonias: sed & usum legum quas credunt antiquissimas, & disciplinarum, & literarum, Græcos à Phœnicibus Chaldæis'ue habuisse. Draco, quem primum legislatorem, αὐτόχθονες Athenienses agnoscunt, quiq; ob magnam seueritatē leges humano sanguine scripsisse dicitur, non aliunde suarum legum præscripta habuit, quàm à sapiētibus Chaldæorum, & Aegyptiorum, ac Hebræorum. Olim enim ob uiciniam unum genus erant, quod ad linguam & disciplinas attinet. Diodorus Siculus ex Herodoto & multis alijs tradit, Solonem, Draconicæ seueritatis moderatorē: Orpheum, qui primus apud Græcos aliquid scriptum uersibus reliquit: Homerum, in quo (ut ait Plutarchus) omnes disciplinæ tam diuinæ quàm humanæ erant: demum Pythagoram ipsum, Memphiticos adijsse uates. unde Solon leges illas scripserit, quas appetendas Romani à prima illa luce magis semoti duxerint: Orpheus, ut qui primus æquitatis præcepta rudibus declararet hominibus, post se saxa, arbores, bruta animalia traxisse dicitur: Homerus illa scripsit, quæ nullus mortalium non habuit maxima: Pythagoras, sanctißimè de diuinis & humanis rebus, & quasi prophetico more disseruit.

Platonem, quem meritò diuinum tota credidit antiquitas, sua tam sancta uitæ præcepta, quæ nobis latinè Cicero tradidit, quæq; apud ipsum legimus, ab Hebræorum, Chaldæorum´ue sapientibus habuisse, omnibus est in confesso. Cuius sententiæ & Pythagoricæ, Aristoteles, homo ad quiduis in quancunque partem libuerit (titulo, quo eum donat Galenus, in eum utor) persuadendum natus, alioqui non rarò claudicans, contrauenire frequentius, contradicendi studiosissimus, uoluit, in his præcipuè quæ de Mundi æternitate ac de animorũ immortalitate tradiderunt: homo proculdubio ingratissimus in eos per quos profecerat, quiq; non rarò soleat quadã persuadendi fœlicitate ea in alijs confutare, quæ deterius ipse docet. Disciplinæ mathematicæ, quas iure in primo certitudinis gradu reponit ipse Aristoteles, à Chaldæis sunt desumptæ. Quod autẽ Græci tam tardè de rebus ipsis scripserint, ut uideantur ipsis tam longæua etiã in 4000. annorum gesta, ipsa uetustate à ueritate aliena, fuit in causa tardior literarũ usus. Illas enim à Cadmo, anno mundi 3700. aut circiter, Thebis Aegyptiacis in Phœniciã Palæstinam´ue profecto, accepisse se fatentur. Quarũ tamẽ fuit usq; adeò tum paruus aut nullus ipsis usus, ut non immeritò quæsitum fuerit, an illis, Troiæ temporibus uterentur, trecentis postea annis. Meritò enim dubitabatur ab antiquitate,

tate, quónam pacto possetfieri, ut Græci homines ingenio ad gloriæ & immortalitatis ac famæ cupiditatem nato, qui nusquam in suis rebus historicis ex musca non faciunt elephantum, ita abstinuissent à prisca illa heroica suorum uirtute celebranda, & literis mandanda (nec enim sola cõptos arsit adulteri crines Helenæ) ut nullum monumentum ante Troiana tempora apud ullos literis mandatũ sculptum'ue fuerit. Si enim tale quicquam fuisset, certè memoria quædã, uel Homeri diligentia, qui de nulla re ferè non egit in suis Rhapsodijs, peruenisset ad posteros. Etiam aliqui crediderunt (quibus tamen ipsis non acquiesco facile) Homerum ipsum olim literis caruisse, suumq́; poema cantando, multos illud docuisse: quod multorum auditorum illius memoria recuperatum, in tot libros quorundam diligentia excreuerit, Rhapsodiæq́; nomen inde habuerit. Sibi faciunt huius rei fidem, quod in illis libris sunt multa abrupta, asyndeta, & tam magno uiro indigna. Certum est equidem, tenui quadam fama res exterorum tum circumferente ad tantũ uirum, necesse hunc fuisse, fabulis multis suum inferci re poema, nulla certè hominis diligentißimi culpa, sed temporum iniuria. Græci certè tum primùm inceperunt scribere & filosofari egregiè, quando res Aegyptiorum, Chaldæorum, Hebræorum inclinari, & in deteriorem conditionem abire cœpe

runt, ita fato naturâue res mortaliũ pro arbitrio agente: ut hodie uidemus Athenas ipsas delatas apud Germanos, Gallos, Britannos, Hispanos, nomine Barbariæ aliquãdo infames populos: excisis illis antiquis, & in uicum paucorum ædiũ redactis, transijsse: ut et Christũ in orientis partibus proculcari, & nobis cõtemni, in occiduis à Barbaris ac ferocibus hominibus excipi. Iam quum in Græcia literis honos esse incœperat, Berosi commentarij, ex quibus decerpsit, fide publica in transcribendo usus, quum res Chaldæorum, quæ in ære ac coctis lateribus, etiam ante diluuium, diligenter literis exculptis seruabantur, Manethon, qui Aegyptiorũ, Moses, qui res Hebræorum scripserat, ita erant argumenti uetustate ipsa iam quasi corrosi, ut uix facerent posteris fidẽ. Hinc à duobus illis primis, quum res olim gestas (nam ut Mosis lex erat sanctißima, ita summopere cauebatur ne illa profanaretur, ac illis permitteretur hominibus qui nugis diuina infercirent) Herodotus, ac illius imitator Diodorus Siculus accepisset, tot annexas fabulas immiscuit, ut incredibilis bona pars illius historiæ facta sit. Sed nescio quomodo, dum uolebam de lingua dicere, transij etiam in gentis antiquitatem: unde ne sim prolixior, me recipio.

AD SACROSANCTA CHRISTI membra, & illi per paſsiones conformia: in Tabulam de Reſtitutione omnium præfatio, & doctrinæ antiquiſsimæ, quam nouam ſoli infideles aut rerum imperiti dicunt, Compendiaria expoſitio, fideiq; ratio, intelligentiæ aut uerisſimæ expoſitioni Symboli hactenus recepti neceſſaria.

ESSE omnes in Satanæ membris connumerandos, quotquot non poſſunt ferre, ecundumperfectißimæ politiæ formam in hac uita antequã in æterna uideatur, ſummã Chriſti ubi paſſus eſt gloriam, ideo omnino certißimum iudico, Patres, Fratres, Filij, mihi obſeruandi: quòd ipſi ſummã authoritatem & pondus uolunt haberi ſuis dictis, & cupiunt in ſenſum omnino ſummũ & ſumma Sapientia dignißimum, ſua omnia uerba, ſententias, axiomata declarari & conferri: Dei autem & Domini noſtri uerba, ſua ſola libidine, contempto aliorum iudicio, perpendi debere aſſerunt. Nam hoc modo ſibi diuinum Chriſti honorem uendicant, & illum de ſua hæreditate deturbare ſatagunt: ſuntq; in ſua doctrina ſimiles illis, qui laruata fœlicitate mundi amplexa, & pace Chriſti repudiata, ſummas opes honores delicias ſumma cupidine adepti, dicunt ideo ueram Eccleſiæ rationẽ & locum penes ſe eſ-

ſe,

ſe, quòd proſperitate & rebus ſecundis in hac uita Deus illos foueat, & eorũ conatus ſententias'ue hoc ſigno ipſi Chriſto domum non habenti contrario in hanc uſq; diem comprobet. Atqui uel ſolius uirtutis argumento (nam ueram uirtutẽ in arduo eſſe poſitam neceſſe eſt, & ſudoribus atq; afflictionibus duce Natura parari) conuincuntur reuera eſſe Nothi atq; adulterini, & non filij. Quoniam extra diſciplinam, & extra crucis propriæ baiulationem eſſe cognoſcũtur, qui pro ſalute innumerabilium hominũ fratrum ſuorum nullo pacto ſe monſtrant eſſe ſolicitos: & ea de re ipſi reprobi unà cum fide illa de qua tam immeritò ſe uenditant, non receperũt à Chriſti imitatione, VT PRO ILLO PATIANTVR: ſicut, ut in eum (ut falſißimè ſeſe uenditant) credant, quem alioqui factis & cucifugio negãt. Nam niſi (ſi diu uiuamus) poſt fidem receptam patimur, & compatimur ipſi Chriſto, proculdubio non conregnabimus. Conformitas enim in opere & paßionibus, eſt uerum ſacroſancti Baptiſmatis, hoc eſt, reuera demißi, incarnati, formati, & conſeruati in nobis Chriſti ſignum. Nam alioqui aut Ethnici ſiue gentiles ſuo ſeculo, aut Iſmaelitæ noſtro, longè ueriorem haberẽt Eccleſiam (ſi proſperitate eſſet metienda) quàm nos. Ideo tanto magis in uitæ et doctrinæ ſinceritate uos admiror, quanto uos magis cõtemptos uideo. Quum

itaq;

itaq; donec in unum uirum perfectum deuenerit totum genus humanum, hoc est, donec conspirent uniuersaliter omnes homines in unam Ecclesiam sub Christo formatam, sit ipsis fidelibus aßiduè Crux tollenda, ut pro omnibus laborent, & in se adimplere satagant corpore patiendo ea quæ desunt paßionum Christi, pro eius corpore quod est Ecclesia, opus est: & illos omnes qui quouis prætextu hodie dicunt, Ecce hic est Christus, hoc est, in nostra Ecclesia solum uera est intelligentia: & similiter illos, qui antea iam à mille annis in opibus sub Christi nomine cumulatis conquiescere (spreta eorum populorum qui nondum Christum cognoscebant cura) uoluerunt, & maximè in hanc usq; diem sategerũt, fuisse et esse reprobatos, in eo quòd nihil pro amato in hac uita pati, sed contrà prospera & suas libidines nocentißimas cõsequi sategerunt. Quum itaque uos solos uideam, ab illis qui maximè de Christi nomine gloriantur, & qui alioqui infirmos in fide assumere, hoc est tolerare, non tollere aut necare deberent, impetitos esse, & magis insectatum iri, ita ut poßitis dicere, omnibus hominibus uos esse odio propter nomen Christi: dico uos inquam solos, quotquot & Naturæ suam ueritatem Rationalem, proinde ut Gratiæ & Christi doctrinæ suam authoritatem cõceditis, & factis utrobiq; fidei uestræ fructus ostenditis, non dubito

quin ipsißimum Christum rerum omnium nudum in uobis persequantur, & rursus crucifigant, occidant, pessundent, comburant, & quouis modo destruere satagant. Quare ego uobis hoc certißimi nuncij adfero, quòd appropinquat Redemptio uestra. Venit enim, imò iam intra nos est reuera, Nubes roscida, humida, & spiritu uitæ plena cum Ratione descendens de cœlo, quæ uos ex Aegypti tyrãnide liberet: ligato, occiso, et submerso Faraone. Venit illa summa in Christo gloria, quæ suũ esse demonstret primò inter uos (modò in fide uera, et semel in Christo optimè constituta cum bonis eius operibus persistatis) ut postea inter cæteros huius mundi habitatores, uos per afflictiones immeritò uobis uti & Christo illatas, esse Dei filios appareat. Venit inquam illa lux, cuius splendor omnibus filijs Satanæ omnino displicet, eo quòd à Satana obseßi, non possunt ferre, ut in hoc mundo uoluntas Dei sicut in cœlo fiat: aut hoc non credunt, ut Deus poßit facere sicut scit et uult, Deum ex suaipsorum impotentia & inordinata uita metientes. Venit illa Spiritus sancta & germen iustũ, quam (ut ait 33. Ieremias) uocabunt IPSAM Dominus Iustus noster. Venit illa sacrosancta Christi spiritualis substantia, igneaq; nubes, quæ noctu medio in deserto usq; in terram sanctam conduxit filios Israel de Aegypto. Venit corpus illud spirituale

rituale, quod animale nostrum in hac prima Resurrectione aut Restitutione omnium transmutabit in se. Hac de re ut poßitis & ipsi inter uos consolationem accipere, & eorum qui Christi gloriæ inuident obiectionibus satisfacere, aut uos opponere, uolui in breui una tabella exponere, tam in Gratiæ quàm in Naturæ sentētijs, hactenus ante me abscondita argumenta, pauca ex multis alijs, quibus pateat cuiuis nō refractario ingenio, quomodo est omnino necessarium nunc in hac tempestate, post transactos ter 1550 annos, in tribus æqualibus Ecclesiæ ætatibus Interlegio 800. ad Mosem usque auctis, ut ipsi Ecclesiæ Christi accedat Quarta ætas, quæ Restitutionis omniū aut Concordiæ mundi nomine & nominetur, & reuera sit. Ideo in omnibus Quaternionibus illis notaui, quomodo quarto semper in loco est ita trium præcedentiū rerum perfectio, ut frustra tres fuisse aut esse fieri'ue uiderentur, nisi quarta illa accederet pro complemento. Quod etiam de impietate quarto in loco consummari solita patet, ita ut quartò non conuertatur. Quum autem in libello Tabulæ ipsius expositorio uobis exposuerim paucis Quaterniones illos, mihi immorandū hac in re nō iudico, maximè quum propediem proditurum Commentariū post Tabulam sperem. Volo autem (ut & uos, et quiuis æquus lector poßit de prima huius argumenti ueritate

Scopus Epistolæ, & rei.

tate gustare, et postea intelligere) uobis declarare Restitutionis omnium mysterium . Gustare dixi primò: Quia necesse est, omnes qui sunt reuera hoc mysterium intellecturi, et reuera Restitutionis omnium ex animo assertores, erga omnes homines qui unquam fuerunt sunt & erunt, fore & esse ita affectos propter cõmunem patrem cœlestem, ut non tantum cupiant, si daretur utilis & Deo ipsi honorifica proximoq; salutaris occasio, mori pro illis singulis, aut in paupertate probro dolore & excessiua charitate uiuere, sint omnino paratissimi: sed maximè excusare & supportare erga alios eorum uitia, ut ne uitia quidẽ in domesticis fidei quoad se esse putent: & si sint, putent à Christo citius remitti quàm imputari: uirtutem autem maximè in illis extollere, & laudare maximè satagant, ita ut inter consentientes charitate actiua homines, quod ad nos attinet, qui Christi amorem gustamus, non possit committi peccatum, aut per nos Iudex correctorius non debeat occupari. Nam potius quoduis damnũ est reuera uero Christiano patiendũ, quàm uel scintilla charitatis pereat. Ideo danda est citius tunica cum pallio, & uita propria post rem quancunq; quantumuis charissimam, quàm iudicem contra proximum fidelem adire. Sic prægustatur sensus Spiritus sancti. Nam charitas omnia credit, omnia sustinet, omnia suffert. Quisquis nõ habet hunc

spiritum

Spiritum ſupportandi & excuſandi omnes, ſe-ipſum autem etiam poſtquam omnia feciſſet maximè accuſandi, præcipuè in tanta opinionum multitudine: ille ſanè ueritatis non eſt capax, & non eſt miſſus à Deo. Naturale enim eſt, uelle excuſari & laudari. Faciamus igitur alijs, quod nobis fieri uolumus: & ne faciamus, quod fieri nobis nolemus. Hoc autem quod per nos lege Naturæ aut Ratione duce in ratihabitione cuperetur, dandũ eſt proximo, & à nobis in hac uita fugiendum, ſicut Chriſtus fugit, uti & fama, quæ ſolos fugiẽtes ſequitur. Sic uera incorporatio, cum Chriſti fit ſubſtantia. Sic eſt cõfirmanda conſtans in ſe omnino moriendi ſententia, quæ eſt Baptiſmi radix & effectus. Ideo quaſi nulli aut perpauci docentes in emendãda ſuorum auditorum uita proficiunt, quia aut non credunt quod docent, aut non habent hoc ipſum prægustationis diuinæ genus, ut in cæteros transfundant. Dicunt enim & non faciũt, aut non credunt potius. Nam tantũ ſcit aut credit homo, quantum operatur. Siquidẽ orator perfectus eſt prius VIR BONVS, quàm DICENDI peritus. Si uis enim me flere, dolendum eſt primo tibi. Redemptionis autem noſtræ ſecundæ, hoc eſt, cœleſtis ſiue ſpiritualis corporis noſtri (ut in hac uita immortalis militet Deo) myſterium ab Authoritate & à Ratione iudicatur omnino & futurum & neceſſa-

Demonstratio rei à Ratione. rium, ut ita intelligatur. Ratio naturalis omninò necessariò uult, ut quantumcunque in hanc usque diem sit uisa permaxima contra optima uota & facta difficultas, usq; adeò ut dixerint multi, Fortunam Fatum'ue, & non Prouidentiam regere mundum: tamen quum sit certissimũ esse Deum, & Prouidentiam eius curare res humanas, necesse est adfore aliquando optimis uotis & optimis factis optimos successus. Et hæc est omniũ Restitutio, ut sicut uidentur meliora & probantur, sic & meliora aliquando & non amplius deteriora fiant. Nam si secula semper proficiant in doctrinis excitãdis, multò maximè debent in actionibus quæ sunt finis doctrinarum, ita proficere, ut ad summam ueniant facta, sicut & ueritas. Innumeræ rationes possunt in hanc sententiam trahi, sicut iam scripsi Parisijs in libro de Omnium Restitutione ad ter 36, hoc est, ad 118 argumenta.

Ab authoritate. Authoritas. Petrus cap. 3. Actuum Apost. ita scribit: Pœnitemini, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra, ut cum uenerint tempora refrigerij à cõspectu Domini, & MISERIT illum qui prædicatus est uobis IESVM Christum, quem quidem oportet cœlum accipere, retinereq; usq; in tempora restitutionis omnium quæ locutus est Deus, &c. Hinc patet, quod in hoc mũdo inferiori, ubi facta fuit destructio, fiet (remisso ad hoc Christo ante ultimum aduentum) Restitutio,

ſtitutio, adueniente nouo modo Chriſto in ſua Spiritu & corpore cœleſti ſiue ſpirituali. Reſtituendum autem eſt regnum Iſrael, id eſt, totius humani generis prædeſtinati à Deo, ut cum Deo luctaretur, fortisq; fieret uincendo ſeipſum, & imitando Deum omnibus benefacientem, ad perfectiſsimè merendum in hac uita: licet tempus non uoluerit Chriſtus ſuis primis diſcipulis indicare. Eſt autem ipſe Elias tertiò ueniens uirtute & ſpiritu Eliæ & Iohannis, uidelicet diues & ornatus homo, in quo ipſe reſtituet Chriſtus omnia. Ideo Elias quum uenerit, omnia reſtituet: Matthæi 7. Nam omnia ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terra ſunt, inſtaurare ſiue reſtituere in Chriſto opus eſt: Efeſiorum primo. Ideo Ezechiel abolitionem totalem peccati originalis fore notat cap. 18. dicēs, & improperans fidelibus: Quid uobis uertitis in prouerbium, dicentes: Patres noſtri comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt? Viuit Dominus, ſi erit uobis ultrà hoc in prouerbium. Ecce omnes animæ meæ ſunt. Sicut anima patris, ſic & anima filij, meæ ſunt. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Hoc de peccato primorū parentum, hoc eſt de originali dici certū eſt. unde ut mali homines ſe in peccatis excuſarent, dicebant, Non poſſumus facere quin peccemus, quia parentes noſtri nos in peccato genuere. unde Deus minatur fore, ut omnino

ita aboleatur peccatum, hoc est ius & corruptißimum inimici hominis seminarium, uidelicet Satanæ, in animas, ut uno tempore sine peccati originalis labe sint planè Christo cum infinito lucro restitutæ, & per restitutam Maternitatē redditæ, sicut fuerant omnes sub Satana. Hinc omnium patet Restitutio. Nam oportet ut sit uerum quod dixit Paulus Rom. 5. cap. Vt non sit sicut delictum, ita & donum. Si enim delictum ex uno ueteri Adamo in omnes homines in cōdemnationem, multo magis Gratia & donum ex uno Christo Adamo nouo in omnes homines in iustificationem. Vnde est necesse, ut sit omnium Restitutio. Nam alioqui nunquam fieret sub Christo unum ouile & unus pastor, nec naturale omnium gentium de fideli Monarchia uotum haberetur. Sed ex Ratione & Authoritate simul sic patet. Nam sicut fuit in persona propria Adam uetus, & de eiusdem substantia in propria persona fuit Eua uetus, in quo utroq; parente ualde nos destruxit Satanas, sed multo maximè & prius in Maternitate generali quàm in Paternitate, ita ut in menstruis posuerit materiale uenenum cum spirituali: sic opus est omnino, ut in propria persona sit Adam nouus ad partem formalem & Mentalem, seu masculinam aut superiorē reparandam, & de eius substantia etiam sit sua noua personalis & indiuidua, in qua per modum seminis incorrupti

corrupti & spiritualis restituat inferiorē partem
in utroq; sexu, quæ nondum usq; ad annum 1540 e-
rat restituta. Licet enim sanctorum filij sancti sunt,
ut 1. Cor. 7. patet, etiam ex utrouis parente Chri-
stiano aut fideli, tamen inferior & à matre potißi-
mum nata pars non potest esse restituta, priusquam
per nouam Maternitatem & in parentibus & in
filijs restituatur. Nam sicut in utroq; sexu omnes
perijmus, opus est ut in utriusq; sexus forma, & nō
in altera aut in paterna tantū, omnes restituamur.
Ideo statim quum est creatus Adam, in sexta die,
usq; ad septimam, erat sub masculi specie masculus
& femina. Sed nō erat bonū sic esse solū, donec de
sui substantia in Paradiso, & non alibi, extrahere
tur adiutorium eius simile ipsi, quod esset os de oßi
bus, aut substantia de substātia eius, & essent post-
ea in æternum duo in unam carnem. Sic opus est
(nam omnia illis in figuris contingebant, & maxi-
mè ista) in Adamo nouo fuisse & esse, ut in suo
primo aduentu absconderet intra se femineam natu
ram, & esset instar masculi & feminæ simul, ad pri
mæ partis in utroq; sexu redemptionem, donec ipse
in sui adiutorio simili ipsi uideatur. Hinc necesse
est, ut in Paradiso sit de eius substantia laterali aut
inferiori educta Eua noua in hanc rē. Ideo spiritus
sanctus creatus, hoc est intellectus poßibilis femi-
neo genere est in lingua sancta, & in ueritate Na-
 turæ:

turæ: ita ut qui rectè filosofari uoluerit de eo, uocet sicut crebrò facio IPSAM, et nō ipsum Spiritum. Quia fons et apex Masculinitatis est in supercœlesti corpore, Christi prædito mente: & apex Femininitatis est in cœlesti corpore prædito Spiritu. Inde Iesaias cap. 54. ubi egit de Christo sub Masculi specie passuro: statim agit de eodem, sed sub specie feminæ sterilis, quæ tamē plures habitura est liberos, q̄ Euæ ueteris maledicta propago, quæ uirū patentē habet: hæc aūt latentē, sed intra ipsam CIRCVNDATVM. Quicquid enim in utroq; sexu destruxit Satā, cum infinito lucro ab utroq; sexu et in utroq; sexu restituatur per Christū necesse est. Ideo Ieremias in cap. 23. et 33. de duplici aduentu aut germine iusticiæ, id est, de Meßia agēs, in 23. uocat Christum masculum, in 33. uocat feminam, dicens: Hoc est nomen quod uocabūt EAM, Dominus iustus noster. Ideo in 23. uocat germen Tzadic, id est iustum: in 33. uerò uocat germē Tzedacah, hoc est IVSTAM, siue IVSTICIAM. Hinc tota femininitas perfecta, de qua agitur in libris Profetarū, & in omnibus historiarū figuris de hac feminea Redēptoris natura in figuris et Profetijs loquitur. Ea est mulier fortis, de qua in Prouerbijs & Canticis: & spiritus pro nobis gemens ante Deum, & melius quàm nos nostras neceßitates sciens, & pro nobis orans gemitibus inenarrabilibus:

enarrabilibus. Ea enim est omnis, id est generalis creatura humana, quæ pro nobis ingemiſcit, & ſpõſum ſuum nobis cõciliat, & aßiduè orat dicens: Parce tuis filijs Domine, quia hactenus prius damnati quàm nati, neſciunt quid faciunt. Ideo pro illis rogo, ut illos ex tuo in me ſemine reſtitutos ita facias, ut Beati illi quibus non imputes parentum delicta uideantur. Ipſa eſt noſtra domus cœleſtis, ex qua nos oportet, ſicut omnes cupimus, ſuperueſtiri (ut Paulus 2. Cor. 5. ait) ſi tamen ueſtiti, & non nudi inueniamur. Nam eſt impoßibile, nos eſſe in noſtro corpore cœleſti aut ſpirituali (quod ad ſupercœleſtem comparatum femineũ eſt) reſtitutos, priuſquã & in nobis ſimus noſtris quatuor elementis cœleſtibus per Quatuor Eccleſiæ ætates Reſtitutis refecti & renati: & ſimus ueſtiti Chriſto ob Paternitatis reſtitutionem, in Baptiſmo recipi à fidelibus & credentibus ſolitam: demũ etiam ſimus SVPERVESTITI, ob Maternitatis in omnibus à Satana occiſæ reſtitutionẽ. Hoc uolui de Diuinæ ſpiritus ratione uobis exponere, ut ſummæ noſtræ originis Natura pateat. Valete, 1553. menſe ſeptimo à Ianuario primo.